DE CVLICIS CARMINIS SERMONE ET DE TEMPORE QVO SCRIPTVM SIT

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM AVCTORITATE ET CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM IN ACADEMIA PHILIPPINA MARPVRGENSI ORDINIS AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

GVILELMVS HOLTSCHMIDT
HAGENSIS BORVSSVS

MARPVRGI CATTORVM A. MCMXIII
TYPIS CHR. SCHAAF

Dissertatio ab amplissimo philosophorum ordine referente Theodoro Birt probata est die VII mensis Decembris MCMXII.

Theodoro Birt

s.

Si de quaestione, quae est de scriptore Culicis carminis Vergilio ascripti, agere, si quo tempore poeta carmen composuerit, definire mihi proposui, primo me excusem necesse est, quod hac de re iterum atque iterum tractata denuo disseram.

Iam multi viri docti magna cum cura atque diligentia de Culicis origine eiusque scriptore egerunt, quorum alii Vergilio tribuerunt, alii abiudicaverunt. Nomina enumerare omnia cum longum atque inutile sit — permagnus enim illorum numerus —, quattuor tantum viri doctissimi recentiores proferantur, quorum sententiae valde inter se discrepant. Theodorus Birt enim in dissertatione, quae inscribitur „Ad historiam hexametri latini symbola“, Bonnae a. 1876, p. 41 sqq. et paulo post in libro, qui est „De Halieuticis Ovidio poetae falso adscriptis“, Berolini a. 1878, p. 47 sqq. Culicem non esse a Vergilio scriptum dicit, quod et ars metrica diversa sit a Vergiliana et sermo diversus[1]). Birtio assentitur Fr. Leo, qui in editione Culicis, quam commentario instruxit (Berol. a. 1891), eisdem de causis carmen Vergilio detrahit[2]).

Hanc sententiam nuper impugnaverunt imprimis Fr. Skutsch et Fr. Vollmer. Skutschius in libro „Aus Vergils Frühzeit“ inscripto (Leipzig a. 1901) p. 125—135 etsi Culicem Vergilio non ascribit, tamen non abnegat; neque hanc neque illam

---

1) cf. praeterea Birt, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils. Erklärung des Catalepton, a. 1910, p. 9.

2) Spurium esse Culicem Plésent quoque contendit, qui ortum esse suspicatur in coetu Pollionis: „Le Culex. Poème pseudo-Virgilien. Édition critique et explicative“, Paris a. 1910; „Le Culex. Étude sur l'alexandrinisme latin“, Paris a. 1910. (cf. Leo, Gött. Gel. Anz. a. 1911, vol. I, p. 135 sq.).

sententiam certis argumentis affirmari posse. Vollmerus autem („Die kleineren Gedichte Vergils“, Sitz.-Ber. d. bayr. Akad. d. Wiss. a. 1907, München a. 1908, p. 351—355) auctoribus antiquis, qui carmen Vergilio tribuerunt[1]), credit defenditque fortiter originem Vergilianam.

Quoniam igitur inter se pugnant Birtii Leonisque et Skutschii Vollmerique sententiae ob eamque causam de qua supra dixi quaestionem nondum ad finem perductam esse mihi persuasum est, iterum eam tractare hoc libello mihi proposui et hoc quidem modo:

Elocutionem imprimis Culicis scriptoris quam possum accuratissime perscrutabor et cum Vergilio comparabo. Non satisfaciunt hac in re, quae Baurius composuit (Fleckeiseni annal. a. 1866, p. 357 sqq.).

Ac primum quidem disseram de verborum usu. Deinde quaerendum erit de participiis et de adiectivis, tum de adverbiis et de substantivis nonnulla adicienda. In his me continui, multa intacta relinquens, imprimis quaestiones syntacticas; sed non omnia possumus omnes.

Quaecumque igitur ad usum verborum pertinent primum tractare aggrediar.

---

1) Suet. vita Lucani p. 50 R. Stat. praef. ad silv. lib. I. Stat. silv. 2, 7, 73 sq. Mart. 14, 185. Mart. 8, 56, 20. Donat. vita Verg. p. 58 R. Serv. proleg. ad Aen. p. 1. Non. Marc. p. 211, 24.

Caput I.

De usu verborum.

abdunt v. 48: iam vallibus abdunt corpora (capellae); item Vergilius hoc verbo usus est, cf. Aen. 1,60.

***abegit** v. 125: quae (lotos) socios Ithaci maerentis abegit.

Abigendi verbum semel modo apud Vergilium vidi (Aen. 8,407 *noctis abactae),* nam Aen. 4,25, ubi Ribbeck *abigat* scribit cum F[1]) et χ[2]), malim *adigat* ut GMPbc[3]); itemque Aen. 11,261 pro *abacti,* quod habet Ribbeck, lectio codicis M *adacti* mihi placuit.

Abigendi verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris abhorret. Dicit enim Vergilius *res abigere (noctem),* is autem, qui carmen fecit, *homines abigere (socios Ithaci).*

Ponunt *homines abigere,* quod raro invenitur, praeter Culicis scriptorem: Plaut. Amph. 979 *fac Amphitruonem advenientem ab aedibus ut abigas;* cf. Truc. 620; Hor. carm. 3,24, 40 *nives mercatorem abigunt;* cf. epod. 5,29; Prop. 3,15, 30 *stabulis mater abacta suis;* Ov. fast. 3,344 *vir conloquio non abigende deum;* Stat. Theb. 2,54 *Letique triformis ianitor agricolas campis auditus abegit.*

---

1) F = schedae Vaticanae.

2) χ = deteriorum librorum pauci quidam.

3) G = schedae Sangallenses rescriptae.
M = Codex Mediceus.
P = Codex Palatinus.
b = Codex Bernensis 165.
c = Codex Bernensis 184.

abest v. 408: non illinc narcissus abest;
idem huius verbi usus saepius occurrit apud Vergilium, cf. Aen. 1,584.

***abiere** v. 226: in vanas abiere vices.

Abeundi verbum persaepe apud Vergilium legi. Sed huius verbi significatio Vergiliana diversa est a Culicis scriptoris. Usurpat enim is, qui carmen fecit, *abire* pro eo quod est *mutari, converti,* cum Vergilio haec vis ignota sit, nam georgicorum in versu 4,410 *(aut in aquas tenuis dilapsus abibit) in aquas tenuis* coniungendum est cum participio *dilapsus,* non cum verbo *abibit.* — Praeterea Vergilius nusquam *abeo* cum *in* et accusativo coniunxit, id quod fecit carminis scriptor.

Quem habet scriptor Culicis verbi usum primum inveni apud Ovidium, deinde apud Senecam (Thy. 772; Oed. 67) nonnullosque alios. Saepissime habet Ovidius: met. 4,658 *barba comaeque in silvas abeunt;* 5,435 *pectora ... in tenues abeunt evanida rivos;* 8,873; 1,236 *in villos abeunt vestes, in crura lacerti;* 4,396 *pars abit in vites, et quae modo fila fuerunt, palmite mutantur;* 11,653 *(Morpheus) in faciem Ceycis abit;* 1,495 *sic deus in flammas abiit;* trist. 5,14, 6 *nec potes in maestos omnis abire rogos.* cf. Priap. 77,16 *in semenque abeo.* Itaque Ovidius hanc locutionem invenit.

abundet v. 92: ut requie .... abundet;
eodem modo Vergilius hoc verbum posuit. cf. georg. 4,140.

Haud aliter res se in his verbis habet:

accendit v. 246: quibus taedas accendit tristis Erinys;
cf. georg. 1,251.

aderat v. 145: quis aderat .... myrtus;

adest v. 89: illi dulcis adest requies; item

adsis v. 378: nec conscius adsis;

adsit v. 5: licet invidus adsit;

adsunt vel **assunt** v. 88: illi .... agrestes herbae ... adsunt.

adire v. 211: cogor adire vices,
cf. Aen. 1,10, translate; item proprie:

adire v. 373: cogor adire lacus,
cf. Aen. 6,115.

***adlabere** v. 25: meis adlabere coeptis.

Quod ad hoc verbum pertinet, magnum rursus discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedit[1]). Cum enim Vergilius *allabor* semper propria notione utatur (cf. Aen. 6,2; 9,474; 10,292; 3,131; 3,569; 9,578; 12,319; 8,108; 10,269), in Culice habes vim translatam, quae a poetarum sermone omnino aliena est, sed historicis quibusdam nota:

Val. Max. 2,10 praef. *grato ... et iucundo introitu animis hominum adlabitur admirationis praetexto velata (maiestas)*; 5,2 ext. 1 *cuius muneris quam grata aestimatio animo eius esset adlapsa, ... ostendit*; Tac. ann. 1,70 *modice adlabente aestu*; Amm. 14,10, 15 *adlapsa felicitate*; 28,6,7 *adlapso legitimo die concilii*; al.

Ceterum hic Culicis locus tam similis est georgicorum versui 1,40 *(audacibus adnue coeptis*; cf. Aen. 9,625), ut poetarum alter hoc loco alterum imitatus esse videatur. Sed dicit Vergilius pro *adlabere coeptis* — *adnue coeptis*, quod multo aptius est sensui.

***adsidet** vel **assidet** v. 301 et 335: assidet hac iuvenis; hic et Tantaleae generamen prolis Atrides adsidet.

Hoc quoque verbum discrimen inter Vergilium et Culicis scriptorem intercedens nobis praebet. Nam apud Vergilium *assideo* idem valet quod Germanice „vor einem Orte gelagert sein, ihn belagern" coniunctumque est cum accusativo (cf. Aen. 11,304 *cum muros adsidet hostis*); in Culice autem idem significat quod apud nos „sitzen", quam vim habes apud nonnullos poetas:

Plaut. Rud. 532 *ut fortunati sunt fabri ferrarii, qui apud carbones adsident*; Lucr. 4,1025 *sitiens . . . fontem propter amoenum adsidet*; Hor. sat. 1,1,82 *si condoluit . . corpus . ., habes qui adsideat*; Tib. 1,3,84; Prop. 4,3,41 *assidet una soror*; Ov. epist. 19, 137 *adsidet aegrae*; 20,191 *adsidet ille quidem (*sc. *aegrae), quantum permittitur*; fast. 5,45 *adsidet inde Iovi (maiestas)*.

---

1) cf. Baur l. c.; Förster, über die Echtheit des Vergilischen Culex und einige Textverbesserungen, Progr., Stralsund a. 1877, p. 9 sq.; R. Hildebrandt, Studien auf dem Gebiete der röm. Poesie und Metrik. Vergils Culex. Leipzig a. 1887, p. 12.

agit v. 99: dum ... pastor agit curas;
cf. Verg. georg. 3,377.

agnovit v. 81: non avidas agnovit opes;
saepius invenitur apud Vergilium.

agor v. 216: praeda Charonis agor;
v. 229: ad pariles agor eventus;
v. 260: Elysiam tranandus agor delatus ad undam;
haud aliter Vergilius hoc verbum usurpavit.

Eadem est ratio in his verbis:

alit v. 152: sonitus alit aeris echo;
cf. georg. 3,454.

amavit v. 300: illum Nereis amavit;
cf. Aen. 6,129.

angit[1]) v. 64: si nitor auri .. animum non angit avarum; translate, item Verg. Aen. 9,89.

***appetit** v. 139: appetit (pinus) aeriis contingere montibus astra.

Vergilius hoc verbum posuit Aen. 11, 277 *cum ferro caelestia corpora demens adpetii.* Sed appetendi verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris magnopere discrepat. Cum enim Vergilius *appeto* cum accusativo *(caelestia corpora)* coniungat, in Culice cum infinitivo iunctum est. Praeterea significatio Vergiliana diversa est a Culicis scriptoris. Nam apud Vergilium *appeto* idem valet quod apud nos „feindlich losgehen auf jemanden, ihn angreifen, bedrohen", in Culice autem „trachten, begehren nach etwas, etwas zu tun".

Appetendi verbum cum infinitivo coniunctum habes Turpil. com. 159 *oculi ex longa intercapedine adpetunt cupide intui;* item Stat. Theb. 1,234 *immeritae gremium incestare parentis appetiit.* (cf. Cic. fin. 5,55 *ut appetat animus agere semper aliquid;* Pis. 57 *aut non appetentem aut etiam recusantem bellum suscipere*).

---

1) Sic traditum est. Buechelerus in musei Rhenani vol. 45 p. 326 sq. huius verbi tempus verbo antecedenti accommodandum et *anget* scribendum esse dixit. Buechelerum secuti sunt Leo et Vollmer.

ardet v. 179: ardet mente;
hoc verbum frequentavit Vergilius: cf. Aen. 8,163.

***aspexit** v. 109: ut procul aspexit luco residere virenti (pecudes).

Quod ad hoc verbum attinet, scriptor Culicis a Vergilii sermone iterum deflectit. Coniungit enim *aspicio* cum accusativo et infinitivo, quae constructio apud Vergilium non invenitur, nam georgicorum locum 4,555 huc pertinere non puto dummodo recte interpungas; sic interpungendum: *hic vero subitum ac dictu mirabile monstrum aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto stridere apes utero et ruptis effervere costis*, e. q. s.; infinitivo pro appositione utitur.

Non pauca huius constructionis exempla afferre possum, quorum plurima occurrunt apud Ovidium: Plaut. Cas. 228 *tristem astare aspicio;* Merc. 220; Enn. ann. 387 *cum procul aspiciunt hostes accedere;* Ter. Hec. 367 *postquam me aspexere ancillae advenisse;* (Varro Men. 457; Manil. 2,198; Aetna 628;) Prop. 2,30, 27 *aspicies scopulis haerere sorores et canere antiqui dulcia furta Iovis;* Ov. met. 5,672 *pennas exire per ungues adspexere suos;* 15,200 *non in species succedere quattuor annum adspicis?;* 7,578; 672; 11,80; 14,61; 15,554; fast. 2,154 *custodem protinus Ursae aspicies geminos exeruisse pedes;* trist. 3,1, 55 et 56; Pont. 4,7, 11.

attollit v. 170: attollit nitidis pectus fulgoribus et se sublimi cervice caput.

Sic traditum est. Attollendi verbo Vergilius non aliter usus est, cf. Aen. 9,682. — De constructione vide quae Leo composuit l. l. p. 61.

Ceterum Culicis locus 170/71 simillimus est Aeneidis versui 9,682; poetarum alter ex altero hausisse videtur.

audis v. 379: sed tolerabilibus curis haec immemor audis;
frequentavit Vergilius hoc verbum.

auferor v. 258: auferor ultra in diversa magis;
non abhorret huius verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris: cf. Aen. 11,713 et 867.

***aversatur** vel **aversatus** v. 256: iamque aversatur(-tus) uterque.

Traditum est in Ω[1]) *aversatus,* quod receperunt Leo, Ribbeck, Vollmer, *aversatur* autem in ς[2]), quod placuit Ellisio. Sive *aversatus* scribis sive *aversatur,* magnopere hoc loco Culicis scriptoris sermo recedit a Vergiliano, nam aversandi verbum Vergilio omnino ignotum est, cum et *avertere* et *averti* (cf. Aen. 6,469) usurpet.

Invenitur *aversari* post Plautum, qui semel hoc verbum posuit (Trin. 627 *sta ilico, noli avorsari, neque te occultassis mihi*), primum apud Ovidium, deinde apud Statium:

proprie, ut in Culice: Ov. met. 1,478 *illa aversata petentes* (14,672 *cum fugias averserisque petentes*); 10,394 *rogantem aversata gemit;* Stat. Theb. 8,764 *fugit aversata iacentem;* 10,767; 12,564; silv. 2,1,170 *fusus humi lucem aversaris;*

latiore usu: Ov. am. 3,11,38 *aversor morum crimina, corpus amo;* fast. 1,5 *aversatus honorem;* Pont. 2,3,5 *aversatus amicum;* Stat. Theb. 8,557 *soceros nec tristibus actis aversatus erat.*

canit v. 26: canit ... pagina bellum;

Vergilius canendi verbo haud aliter usus est (cf. Aen. 4,14 *bella exhausta canebat*).

capiebat v. 161: dulcem capiebat corde quietem;

saepius Vergilius capiendi verbo eodem modo utitur.

***capit** v. 391: conformare locum capit impiger.

Hic autem capiendi verbi usus a Vergiliano differt. Audacissime posuit scriptor Culicis simplex *capit* pro composito *incipit*[3]) et cum infinitivo coniunxit. Etsi apud Vergilium *capio* idem significare videtur quod *incipio* — quamquam raro (cf. Aen. 7,403 *capite orgia mecum*; Aen. 10,106?) — tamen nusquam Vergilius cum infinitivo coniunxit, sed plerumque cum accusativo.

---

1) Ω = archetypus omnium codicum a librariis aevi Carolini exceptus.

2) ς = codices qui Italorum correctiones et interpolationes passi sunt quales Helmstadiensis, Vossianus alii vel unus vel complures (cf. P. L. M. vol. I ed. Vollmer a. 1910, p. 44).

3) Vide Lucretium, qui saepius stinguendi pro exstinguendi verbo usus est, semel pro distinguendi (1,486).

Atque quae huius constructionis exempla afferre possum, apud serioris aevi scriptores reperiuntur, sed his locis *capio* Graeco *ἐνδέχεται* respondet: cf. Tert. pudic. 1 ad fin. *non capit et indulgeri quasi modica et praecaveri quasi maxima*; Prud. apoth. 86 *nec capit humanis angoribus excruciari*; Paulin. Nolan. carm. 9,22 *sed domini carmen tellus aliena mereri non capit.*

carpuntur v. 52: carpuntur et arbuta ramis;
cf. ecl. 9,50.

cecinit v. 209: cecinit convicia mortis;
canendi verbum Vergilius similiter posuit, cf. georg. 1,378.

celebrate v. 19: celebrate deum;
eodem modo Vergilius celebrandi verbo usus est.

cerno v. 259: distantia numina cerno;
item hoc verbum usurpat Vergilius.

certat v. 350: maris unda sideribus certat consurgere; certandi verbum cum infinitivo coniunctum habet saepius Vergilius: cf. Aen. 9,557; 9,520; 10,130; al.

***certet** v. 37: memorabilis et tibi certet gloria.

De hoc verbo vide quae adnotavit Leo l. l. p. 34 sq. *Certare* etiam apud Vergilium saepius cum dativo iungitur, sed hoc loco Culicis exstat dativus commodi qui vocatur, eodem sensu quo *pro* dictum, locutio sane curiosius quaesita, quae tamen comprobatur Valerii Flacci exemplo 5,644 *et tibi, magne pater, terris donaria certant*; specie decipit Statii versus silvarum 1,2,108 *cui gloria patrum et generis certabat honos*; cf. Verg. ecl. 5,8. — Conati sunt viri docti emendare hunc locum: Buechelerus (mus. Rhen. vol. 45, p. 326) proposuit sic legendum: *hoc tibi, sancte puer, memorabile, sit tibi certe gloria*; Ellis *haec tibi, sancte puer, memorabimus, haec tibi restet gloria*; alii aliter. Sed ego quidem cum Leone, Ribbeckio, Vollmero quod traditum retinendum puto, praesertim cum exemplo non careat locutio.

Insequentium verborum usus a Vergiliano non discrepat:

cessit v. 366: cessit cui ... potentia regis,
cf. Aen. 9,805;

cingunt v. 197: cingunt qua tempora cristae,
cf. Aen. 12,163;

circumdatur v. 353: copia nunc miseris circumdatur ... fatis, cf. georg. 3,487; Aen. 1,593.

cogebat v. 108: pastor pecudes cogebat in umbras, cf. Aen. 9,463;

cogor v. 211 et 373: cogor adire vices; cogor adire lacus; similiter:

cogunt v. 215 et 377: manes viscera (mea) cogunt transnare per undas; iam causam mortis, iam dicere vitae ... cogunt ... Poenae;

cogendi verbum cum infinitivo coniunctum saepius invenitur apud Vergilium.

cole v. 381: tu cole fontis et ... silvas et pascua,

colit v. 87: ille colit lucos,

colitur v. 86: illi ... deus colitur;

similiter Vergilius colendi verbum posuit.

collucent v. 217: flagrantia taedis limina[1]) collucent infestis omnia templis.

Collucent, quod placuit Leoni, Ribbeckio, Ellisio, Vollmero (*conlucent* Ribbeck et Ellis), habet codex *Γ*[2]), *cum lucent* autem legitur in SFCL[3]); ego quoque malim *collucent.*

Verbo quod est *colluceo* Vergilius non aliter usus est atque Culicis scriptor, cf. Aen. 5,4.

comitabantur v. 134: quam comitabantur, fatalia carmina, quercus;

cf. Aen. 6,863. — De figura dixit Leo ad v. 51 (l. l. p. 37).

***comparat** v. 178 et 205:

178: naturae comparat arma; cum accusativo rei,

205: in fessos requiem dare comparat artus; cum infinitivo.

---

1) *lumina Ω*; *limina A* (= Paris. lat. 7927 saec. X—XI) et *T* (= Paris. lat. 8069 saec. X), sic Leo, Ribbeck, Ellis, Vollmer.

2) *Γ* = Corsinianus 64, saec. XIV.

3) S = Stabulensis Paris. lat. 17177 saec. X.
F = Fiechtianus, nunc Mellicensis, saec. X.
C = Cantabrigiensis, saec. X.
L = 'ludi iuvenalis' codices.

cf. Vollmer, P. L. M. vol. I, p. 44; accuratius de codicibus egit in praefatione.

Comparandi verbum Vergilius nusquam adhibuit[1]), nam simplici *paro* usus est pro composito *comparo*.

Legitur cum accusativo rei coniunctum inde a Plauto: persaepe apud Plautum (cf. Amph. 960 *voltum e voltu comparet*; Capt. prol. 47 *compararunt . . . dolum*; Cas. 505 *comparem magnum malum*) et Terentium (cf. Eun. 355 *donum huic dono contra comparet*); singulis locis apud Catullum (cf. 10,15 *comparasti ad lecticam homines*), Horatium (cf. epod. 2,30 *imbres nivesque comparat (annus hibernus)*), Tibullum (cf. 1,10,42 *calidam fesso comparat uxor aquam*), Ovidium (cf. fast. 2,780 *comparat indigno vimque dolumque toro*), Statium (cf. silv. 1,6,80 *dum nova lucra comparantur*), Martialem;

cum infinitivo coniunctum nullo invenitur loco nisi Ovidii in versu tristium 2,268: *Igne quid utilius? siquis tamen urere tecta comparat, audaces instruit igne manus.*

compellit v. 29: Lapithas compellit in enses; cf. ecl. 7,2 (adde Cul. 104 et 204).

conati sint v. 236: conati ... cum sint inscendere mundum; conandi verbum Vergilius saepius cum infinitivo coniunxit, cf. georg. 1,281.

concepit v. 158: mitem concepit proiectus membra soporem; cf. georg. 1,422.

concidit v. 326: dolis Ithaci virtus ... concidit icta; translate, item Aen. 11,245.

***conformare** v. 391: conformare locum capit impiger.

Verbum quod est *conformo* non legi apud Vergilium, qui simplex *formo* pro composito *conformo* posuit.

Conformandi verbum prosae orationis imprimis scriptores frequentaverunt (Cornif. Rhet. Her., Cic., Vitr., Sen. dial., Gell.; Nep., Sen. epist., Quint. inst., Tac. ann.), cum poetarum vix quisquam habeat: cf. Afran. com. 177 *videat puellam curent, conforment iube*; Stat. silv. 1,1,3 *Siculis ... conformata caminis effigies.*

---

1) Exstat autem in Moreti carminis versu 55: *quas iungat comparat escas.*

confundere v. 156: quos (dumos) ... aura ... poscit confundere;

translate, item Aen. 5,496.

conserit v. 398: quem (tumulum) circum lapidem levi de marmore formans conserit;

de rebus corporeis, item Aen. 3,467 (5,259); 3,594; 11,771.

***consonet** v. 4: historiae per ludum consonet ordo.

Recedit huius verbi significatio Vergiliana a Culicis scriptoris. Cum enim Vergilius consonandi verbo semper proprie utatur (cf. Aen. 5,149 *plausu fremituque virum studiisque faventum consonat omne nemus*; 8,305 *consonat omne nemus strepitu*, i. e. Germanice „wiederhallen"), in Culice vis translata in verbo inest idemque valet, quod congruere, convenire, concordare, i. e. „im Einklang stehen, harmonieren, übereinstimmen".

Vim translatam saepius vidi Manilii in Astronomicis, absolute: 2,522 *sic veri per totum consonat ordo* (simillime!); cf. 3,207 *nec consonat ordo*; alicui rei: 2,281 *virginis et tauri capricorno consonat astrum*; 3,110 *appositis cum mundus consonat astris*.

consumpsit v. 364: quem (Curtium) quondam ... consumpsit gurges in unda;

cf. Verg. ecl. 10,43.

consurgere v. 350: maris unda sideribus certat consurgere; simillimus est Aeneidis versus 7,530, sed dicit Vergilius hoc loco mare consurgere *ad* aethera (= ad c. accus. „zum Aether"), scriptor autem Culicis consurgere *sideribus* (= abl., „zu den Sternen").

contempsisse v. 244: contempsisse dolor quem numina vincit;

Vergilius non aliter hoc verbo usus est.

***conterret** v. 183: hunc ... umoris conterret alumnus.

Non diversus est huius verbi usus a Vergiliano. Sed Vergilio nulla conterrendi verbi forma nota est nisi part. perf. pass. (cf. Aen. 3,597; 12,54; 9,123; 7,722).

Verbum habet post Lucretium (cf. 2,623 *ingratos animos atque impia pectora vulgi conterrere metu quae possint numinis*

divae) primus Ovidius metamorphoseon in versu 6,287: *qui (arcus) praeter Nioben unam conterruit omnes: illa malo est audax;* praeterea vidi apud Senecam (Herc. O. 1705 *non me mortis infernae locus nec maesta nigri regna conterrent Iovis),* Lucanum (1,563 *matremque suus conterruit infans*), Val. Flaccum (7,515 *nunc deicit vultus aeger pudor et mora dictis redditur ac rursus conterret Iasona virgo*), Sil. Italicum (14,319 *improvisa novo pestis conterruit astu;* 15,293 *conterruit*).

contingere v. 139: appetit aeriis contingere montibus astra (pinus);

Vergilius eodem modo hoc verbum posuit.

Item res se habet in his verbis:

corripere v. 351: superne corripere et soles[1]) et sidera cuncta minatur[2]) (maris unda),

cf. Aen. 9,537;

corrupit v. 291: nec divae corrupit munera lingua,

cf. georg. 3,481;

credidit v. 271: audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam credidit,

cf. Aen. 2,371;

crescent v. 399: hic et acanthos et rosa ... crescent[3]) ... et violae genus omne,

cf. ecl. 10,54;

crevit v. 396: tumulus formatum crevit in orbem,

cf. georg. 4,122.

***cubuere** v. 154: circa passim fessae cubuere capellae.

Simplex *cubare* Vergilius non admisit, usurpavit autem composita *accubo, excubo, incubo, occubo, recubo.*

Legitur cubandi verbum inde a Plauto; adhibuerunt singulis locis: Priap., Manil., Iuv.; binis: Ter., Catull.; ternis: Tib., Mart.;

1) *soles Γ*, sic Leo, Ribbeck, Vollmer; *solis* VSFCL, sic Ellis (V = Vatic. lat. 2759 saec. XIII).

2) *minantur Ω, minatur* correxit Heyne, quem secuti sunt editores. De verbo quod est *minari* postea.

3) sic traditum in Ω, quod placuit Leoni et Vollmero; *crescens* habent Itali(ς), item Ribbeck et Ellis; *crescet* Birt.

quaternis: Lucr., Prop.; saepius: Plaut., Varro, Hor., Ov.: cf Plaut. Pseud. 36 *in cera cubat (amica);* Amph. 513 *cubuisti;* Ter. Ad. 851 *cogam, ut cum illa una cubet;* Lucil. 61 *cubare;* Varro Men. 334 *cubat;* Lucr. 2,36 *cubandumst;* Catull. 69,8 *cubet*; Hor. epod. 12,5 *polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis*; Tib. 1,1,45 *cubantem*; Prop. 4,7,54 *cubet*; Ov. met. 11,612 *quo cubat ipse deus membris languore solutis*; ars 2,504 *cubet*; epist. 19,164 *cubat*; am. 1,8,108 *ut mea defunctae molliter ossa cubent*; item epist. 7,162 et trist. 3,3,76; ars 2,370 *timet in vacuo sola cubare toro*; rem. 727 *hic fuit, hic cubuit.*

culpare v. 6: quisquis erit culpare iocos musamque paratus; non alienus est idem huius verbi usus a Vergilio, qui semel culpandi verbum posuit: Aen. 2,602.

***cumulavit** v. 395: congestum cumulavit opus.

Quod ad cumulandi verbum pertinet, discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris elocutionem intercedit. In Culice enim *cumulare* idem est quod *coacervare, in unum conicere, colligere* = „etwas häufen, zusammenhäufen, aufhäufen", i. e. „in einen Haufen bringen"; apud Vergilium autem, qui saepius hoc verbum posuit, significat *addere, imponere cumulum*; cf. Aen. 11,50 *altaria donis cumulat*, 8,284, 12,215 *aras lancibus cumulant* = „gehäuft, hoch bedecken mit" (proprie); Aen. 5,532 *muneribus cumulat Acesten* = „überhäufen, überschütten mit etwas", 4,436 *cumulatam (veniam) remittam* = „vermehrt, vergrößert, gesteigert, in gehäuftem Maße" (translate); i. e. „mit einem Haufen versehen".

Quam habet scriptor Culicis verbi significationem primum vidi apud Lucretium (cf. 1,990 *materies omnis cumulata iaceret*; 6,191; 518), deinde apud Lucanum (cf. 8,729 *cumulato ture*), Sil. Italicum (cf. 3,661 *inque vicem ingesto cumularunt pulvere montis*), Statium (cf. Theb. 2,432 *Danaae cumulentur opes*; 2,713 *corpora tunc atque arma simul cumulata superstans incipit*; 6,86; 10,655).

***currere** v. 35: mollia .. tenui pede currere[1]) carmina ... (pagina) gaudet (cf. v. 17; Ciris 20).

---

1) *currere Ω, decurrere* Heinsius et Ellis.

Apud Vergilium hanc locutionem non vidi, sed similem habet Horatius, cf. sat. 1,10,1: *incomposito dixi pede currere versus Lucili* (cf. 2,1,28). Vide etiam Lucr. 2,692 *non quo multa parum communis littera currat* (Ter. Maur. 883 *nec secus mutas videmus posse geminas currere*); Hor. sat. 1,10,9 *est brevitate opus, ut currat sententia*; Cic. Brut. 227 *perfacile currens oratio*; Quint. inst. 9,4,18 *historia currere debet*; inst. 9,4,88 *trochaeum ut nimis currentem damnet*; inst. 9,4,50 *illi (rhythmi) currunt usque ad μεταβολήν*; imprimis Diom. gramm. I, 517,16 *per varios semper currunt mea carmina modos.*

dabat v. 122: (quis) ipsa loci natura domum ... dabat;

dabat v. 316: obiectoque dabat clipeo certamina (Telamonius heros);

dabat v. 346: Nereis ab unda signa dabat;

cf. georg. 1,471 *signa dabant*; et saepius;

dabunt v. 9: dabunt cum securos mihi tempora fructus;

hic dandi verbi usus Vergilio notus est.

***dare** v. 205: in fessos requiem dare comparat artus.

Mirum est, quod scriptor Culicis hoc loco *dare* cum praepositione *in* et accusativo coniungit *(in requiem),* nam Vergilius similibus locis dativum verbo subiecit, non *in* et accusativum, quod tamen fecit Ovidius: cf. met. 2,384 *datque animum in luctus*; epist. 7,192 *dabis in cineres ... dona* (cf. Cul. 313); et saepius.

De toto loco vide quae Leo adnotavit p. 44 sq.

***decorat** v. 138: pinus proceros[1]) decorat silvas hirsuta per artus.

Vergilius haud aliter hoc verbo usus est nisi quod, ut plurimi poetae, ablativum addidit rei, qua aliquid ornamus (cf. Aen. 6,217 *pyram decorant fulgentibus armis*; 11,25 *decorate animas muneribus*; 9,215 *decoretque sepulcro* (sc. *absentem*)), cum in Culice habeas praepositionem *per* et accusativum rei *(per artus).*

dedit v. 247: dedit conubia Mortis;

1) *proceras Ω,* sic Leo; *proceros* emendavit Heinsius, quod placuit Ribbeckio, Ellisio, Vollmero.

simillimus est Statii versus silvarum 3,4,54 *ipsaque (Venus) taedas iunxerat et plena dederat conubia dextra*; cf. Ov. fast. 3,195 *extremis dantur conubia gentibus.*

dedit v. 368: devota dedit qui corpora flammae (Flaminius), cf. Verg. Aen. 10,425.

densentur v. 233: quem circa tristes densentur .. poenae; cf. Aen. 7,794 (6,561).

depellere v. 321: Vulcania .. vulnera ... depellere navibus instat;

cf. Aen. 5,727; 9,109.

***derigit** v. 91: omnis derigit[1]) huc sensus.

Derigendi vel dirigendi verbi significatio Vergiliana alia est atque in Culice. Nam Vergilius, qui saepius hoc verbum posuit, semper proprie utitur, cum scriptor Culicis habeat vim translatam. Atque quae translatae significationis exempla afferre possum, inveniuntur imprimis apud solutae orationis scriptores; tamen habet Ovidius: fast. 6,484 *dirige vatis opus.*

***destinat** v. 392: hunc (locum) et in orbem destinat.

Huius quoque verbi usus magnopere abhorret a Vergiliano. Apud Vergilium enim destinandi verbum idem est quod apud nos „jmd. bestimmen“ *(me destinat)* sequiturque dativus rei, cui quis destinatur (*arae:* Aen. 2,129 *me destinat arae* = „er bestimmt mich dem Altare“ vel „für den Altar“); in Culice autem, quod sane mirum est, idem valet quod *describere, metari* locum sequiturque accusativus et praepositio *in (in orbem).*

Nullo fere exemplo probare possum quam exhibet scriptor Culicis verbi notionem; similis est Manilii versus Astronomicorum 2,773: *conditor et vacuos muris circumdare colles destinat ante manus quam temptet scindere fossas.* cf. Vitr. 5,12 *destinare arcas.*

***detraxit** v. 192: validum dextra truncum detraxit ab orno.

Verbum quod est *detraho* novum discrimen — quamquam minus magnum — inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens nobis praebet. Dicit enim Vergilius *detrahere alicui*

1) Traditum est *dirigit; derigit,* quod receperunt editores, habet Γ^1.

vel *alicui rei aliquid* (cf. Aen. 5,260 *quam (loricam) Demoleo detraxerat,* i. e. „abziehen, wegnehmen“ et georg. 4,513 *quos (fetus).. arator .. nido .. detraxit,* i. e. „wegnehmen, entziehen, entwenden“), scriptor autem Culicis *detrahere aliquid ab aliqua re (truncum ab orno,* i. e. „herab-, herunterreißen“), quod apud poetas non vidi (cf. Cic. Harusp. resp. 13,28 *sacerdotem ab ipsis aris pulvinaribusque detraxeris*; off. 3,30 *si quid ab homine... utilitatis tuae causa detraxeris*). Tamen similis est locus Ovidianus, ubi ut in Culice *detraho* idem valet quod lingua vernacula „etw. herab- herunterreißen von etw.“: met. 11,109 *ilice detraxit virgam.*

***devenit** v. 208: effigies ad eum culicis devenit.

Quod ad hoc verbum attinet, Culicis scriptoris elocutio iterum recedit a Vergiliana. Coniunxit enim is, qui carmen fecit, deveniendi verbum cum accusativo et praepositione *ad (ad eum devenit),* cum apud Vergilium semper habeas accusativum sine ulla praepositione (cf. Aen. 4,166 *speluncam deveniunt*; 4,125 *speluncam devenient*; 1,365 *devenere locos*; item 6,638).

Deveniendi verbum cum accusativo et praepositione *ad* coniunctum in oratione pedestri semper fere occurrit (apud Cic. potissimum); poetarum exhibet saepius Plautus: cf. Most. 968 *ne ad alias aedes perperam deveneris*; Epid. 364 *deveniam ad lenonem*; Pseud. 287 *ad danistam devenires*; Rud. 956 *ad furem egomet devenio*; habet praeterea Terentius: cf. Haut. 750 *miseret me, tantum devenisse ad eum mali.* — Ovidius dicit *devenire in:* met. 8,797 *devenit in Scythiam.*

devicerat v. 389: infestum pugnans devicerat hostem;

non discrepat huius verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris, posuit autem Vergilius nullam verbi formam nisi part. perf. pass. (cf. Aen. 9,264; 11,268; 10,370).

***dicere** v. 376: iam causam mortis, iam dicere vitae . . .
cogunt sub iudice Poenae.

Traditum est *discere* in codd. VFCL, quod hoc loco sensum non habet; scribendum est *dicere,* ut legimus in *Γ.*

Vox quae est *causam dicere* in Culice idem sonat quod Germanice „sich verteidigen, sich verantworten, sich rechtfertigen“, quae vis a poetarum sermone omnino aliena est, sed

Ciceroni imprimis et historicis quibusdam (Caes., Liv.) nota. Etsi Plautus et Terentius usurpaverunt *causam dicere* (cf. Plaut. Capt. 625 *hoc si secus reperies, nullam causam dico, quin mihi et parentum et libertatis apud te deliquio siet,* i. e. „ich mache keine Einwendung, verweigere (verhindere) nicht, daß . . .“; Ter. Phorm. 272 *non causam dico, quin quod meritus sit ferat*), tamen verbi significatio est alia; declarat enim apud eos *causam non dico* vel *nullam causam dico* idem quod *non recuso.*

digredior v. 381: digredior nunquam rediturus,
cf. Aen. 3,492.

***digressa est** v. 223: ab officio digressa est gratia.

Hic autem digrediendi verbi usus a Vergiliano differt. Utitur enim Vergilius *digredior* semper propria notione, scriptor autem Culicis hoc loco translata, quod fecit Terentius quoque: Phorm. 722 *nos nostro officio nil digressos esse*; cf. Cic. Brut. 322 *digredi parumper a causa.*

dimisit v. 385: hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae;
eadem ratione Vergilius hoc verbum adhibuit.

dimittes v. 380: dimittes omnia ventis;
sic traditum est. Hunc quoque dimittendi verbi usum praebet Vergilius.

discernis[1]) v. 375: conscelerata pia discernis (maxime Minos)
vincula sede;
eodem modo Vergilius hoc verbum posuit.

dixit v. 384: dixit, et extrema tristis cum voce recessit;
cf. Verg. Aen. 1,402.

***dubium sit** v. 194: prodere sit dubium.

Quod ad hoc verbum pertinet, discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedit. Nam *dubium est* Vergilius nusquam adhibuit, usurpavit adiectivum modo *dubius* (cf. georg. 2,283 *dubius Mars;* Aen. 9,797 *dubius Turnus*; 4,55 *dubiae menti*; 2,359 *dubiam in mortem;* 6,196 *dubiis rebus*; al.).

---

1) In versu 374 praebet *Ω maxima Minos,* quod rectum esse non potest; apta esse mihi videtur Nodellii coniectura *maxime Minos.* Qua de causa in versu 375, ubi traditum est *discernit,* recte emendavit Nodellius *discernis.* Secuti sunt eum Leo, Ribbeck, Ellis, Vollmer.

Legitur *dubium est* imprimis apud solutae orationis scriptores, poetarum habent primi Plautus et Terentius, vidi deinde apud Ovidium: cf. met. 10,659 *dubium, Megareius heros gaudeat, an virgo magis*; 11,717 *primoque, quid illud esset, erat dubium*; am. 3,12,13 *an prosint, dubium*; epist. 19,43 *sit dubium, possisne capi*; Pont. 1,3,72 *inter quas dubium, quae prior esset, erat*; et saepius.

ducere v. 162: ni Fors incertos iussisset ducere casus.

Dicere vult hoc loco poeta haec fere: Iam in eo erat pastor, ut quiete frui posset, nisi incertas eum ducere sortes sive incertos sortiri casus Fors iussisset (cf. Leo, p. 56).

Etsi figura ipsa *casus ducere* apud Vergilium non exstat tamen similes figuras adhibuit interdum: cf. Aen. 9,166, georg. 3,378 *noctem ducere*; ecl. 9,49 *colorem ducere*; Aen. 4,560 *somnos ducere*; fortasse Aeneidis quoque versus 9,268 huc pertinet *praedae ducere sortem*, sed incerta est scriptura *ducere*, nam codd. MP[1]) praebent *dicere*, Rbcm[2]) *ducere*; si scribimus *ducere* simillimus est locus Culicis versui. cf. Aen. 6,22 *stat ductis sortibus urna.*

edit v. 252: vox Ityn edit Ityn.

Hic locus corruptissimus est. Traditum enim *vox it in ed ytin* vel *ityn*, quod sensu caret. Qua de causa correxit Sillig *vox Ityn edit Ityn*, quae emendatio mea quidem sententia necessaria est. Receperunt editores.

edunt v. 147: volucres ... dulcia ... carmina ... edunt; verbum quod est *edo* Vergilius similiter usurpavit, cf. Aen. 5,799; 5,693.

educat v. 13: sive educat illum Arna[3]); item Verg. Aen. 10,518.

egere (= egerunt) v. 116: choros egere puellae; *choros agere* non scripsit Vergilius, usus est autem similibus figuris, velut *choros agitare* georg. 4,533.

---

1) M = Mediceus, P = Palatinus.

2) R = Romanus, b = Bernensis 165, c = Bernensis 184, m = Minoraugiensis.

3) *Arna* Haupt, quod receperunt editores, *Alma* Ω.

eriperet v. 320: eriperet reditus;
persaepe Vergilius eripiendi verbum eodem modo posuit.

***evectus erat** v. 107: iam medias operum partes evectus erat Sol.

Evehendi verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris magnopere abhorret. Vergilius enim verbum adhibet activum (cf. Aen. 6,130 *quos evexit ad aethera virtus*) construitque cum accusativo et praepositione *ad (ad aethera),* i. e. Germanice „jmd. zum Äther empor-, hinaufführen, -tragen", in Culice autem exstat medium *(evectus erat)* coniungitque sibi verbum accusativum sine ulla praepositione *(medias partes),* i. e. lingua vernacula „über etw. hinausfahren, -segeln, -steigen etc.", „überschreiten". (cf. Cul. 84 et 253 *evectus*).

Quem habet scriptor Culicis verbi usum vidi imprimis apud Curtium et Tacitum historicos:

1. proprie: Curt. 9,34 *tum aliam insulam medio amni sitam evecti*; 9,37 *evectusque os (amnis),* i. e. „als er die Mündung des Flusses hinter sich hatte";

2. translate: Tac. ann. 12,36 *fama eius evecta insulas*; ibid. 14,52 *privatum modum evectas opes adhuc augeret.*

Poetarum exhibet Sil. Italicus 16,372 *medium evecti certamine campum.* — Medium legitur etiam apud Ovidium: cf. met. 14,127 *evectus ad auras*; 2,588 *mox acta per auras evehor,* sed verbi usus est alius.

Ceterum similis est hic Culicis locus versibus nonnullis Vergilianis, sed Vergilius pro *evectus erat* dicit *traiecerat* vel *conscenderat:* cf. Aen. 6,535 *iam medium aetherio cursu traiecerat axem*; 8,97 *sol medium caeli conscenderat igneus orbem.* cf. georg. 3,331; 4,401.

exarsit v. 409: igne Cupidineo proprios exarsit in artus;
item Verg. Aen. 7,445.

***excedunt** v. 143: excedunt ad summa cacumina (hederae).

Priusquam ad verbum ipsum tractandum me vertam, pauca dicenda sunt de textu. Traditum est *excedunt* in codd. VCL, quod receperunt Leo et Ribbeck; scripserunt autem *escendunt* Heyne et Ellis, *ascendunt* Vollmer, quae verba sane apta sunt

sensui, sed non necessaria. Ego quidem verbum, quod est *excedunt* praecipue aptum esse credo *summis cacuminibus* et quia est quaesitius dignum hoc poeta. Quod exhibet cod. *Γ accedunt* minus aptum.

Excedendi quoque verbum discrimen inter Vergilium et Culicis scriptorem intercedens nobis praebet. Cum enim in Culice *excedo* idem sit quod Germanice „hervorragen, sich erheben zu“ coniungaturque cum accusativo et praepositione *ad (ad summa cacumina),* apud Vergilium semper fere (semel habet vim translatam „abtreten“: *palma* „den Preis abtreten“) idem significat quod apud nos „herausgehen, sich entfernen aus einem Ort, einen Ort verlassen, weichen aus“ coniungitque sibi semper ablativum sine ulla praepositione: cf. Aen. 2,737 *excedere regione*; 9,366 *castris*; 11,540 *urbe*; 1,357 *patria*; 3,60 *terra*; et saepius.

Qui legitur in Culice verbi usus apud nullum exstat poetam, sed apud solutae quoque orationis scriptores pauca tantum inveni exempla: cf. Val. Max. 5,6,4 *ad summum imperii fastigium excessit*; *excedere ad clarissimum gloriae lumen,* i. e. „zu etw. gelangen, sich zu etw. erheben“: translate, in Culice autem proprio sensu.

***excessit** v. 189: spiritus excessit sensus.

Hic quoque excedendi verbi usus a Vergiliano magnopere differt: in Culice *excedo* hoc loco idem sonat quod lingua vernacula „herausgehen, weichen aus, verlassen“, quae vis apud Vergilium persaepe occurrit. Sed cum Vergilius — quod antea iam dixi — eis locis excedendi verbum semper cum ablativo coniungat sine praepositione *(urbe, patria, terra, castris, regione excedere),* in Culice *excedo* construitur cum accusativo *(sensus).*

Nonnulla huius constructionis exempla afferre possum: primum apud Ovidium legi (met. 6,197 *excessere metum mea iam bona*; 7,166 *excessitque fidem meritorum summa tuorum*), deinde apud Senecam (Oed. 23 *non ego penates profugus excessi meos*) et Lucanum (1,497 *patrios excedere muros*). (cf. Liv. 2,37; 23,1 *urbem excedere*; et saepius).

***existat** v. 231: existat par officium.

Quod attinet ad hoc verbum, scriptor Culicis a Vergilii sermone iterum deflectit, nam verbum quod est *existo* vel *exsisto* Vergilio omnino ignotum est.

Invenitur post Lucretium, qui saepius hoc verbum posuit (cf. 2,871 *vivos existere vermes stercore de taetro*; 5,212 *sponte sua nequeant liquidas exsistere in auras*), apud Ovidium: cf. epist. 19,113 *quotiens existere perfida temptas*; met. 2,264 *exsistunt montes*; 15,274 *exsistit procul hinc*; et saepius.

exstat v. 241: vix ultimus amni exstat.

Quod traditum est *restat* hoc loco sensu caret, qua re Heinsii emendatio *exstat* necessaria esse mihi videtur; placuit editoribus quoque. — cf. Verg. georg. 3,370; Aen. 6,668.

fastidiat v. 59: si quis non pauperis usum ... fastidiat; cf. ecl. 2,73.

fecerat v. 277: fortuna valens audacem fecerat;
non abhorret huius verbi usus a Vergiliano.

feramur v. 41: sed nos ad coepta feramur;
idem huius verbi usus occurrit apud Vergilium.

Haud aliter res se in his verbis habet:

feretur v. 7: pondere vel culicis levior famaque feretur;

ferit v. 197: ictibus ossa ferit;

ferit v. 300: hunc rapuit ferit ast illum.

Sic traditum, quod sensum non habet; corrupta sunt verba. Scripsit Vollmer *hanc rapuit feritas* (*feritas* exhibet V), *illum ...;* Ellis *hunc rapit Hesiona, ast illum ...*; Leoni alia placuit scriptura: Periboeae nomen a multis iam receptum ex Schraderi et Heynii coniectura tolerari non posse dicit (cf. p. 92), sed Hesionae quoque nomen aut Troadis rectum non esse; ac multo meliorem esse Bembi coniecturam *hunc rapuit serva.* Sed pro certo dici non potest, quae sint scribenda; verbum sane quod est *ferit* retinere valde dubito.

Accuratius de versu 300 egit Leo p. 91 sq.
Insequentium verborum usus a Vergiliano non discrepat:

feror v. 23: saltus feror inter et antra[1]);
cf. Aen. 7,673;

---

1) *astra Ω, antra* Heyne, sic editores.

feror v. 231: feror avia carpens;

ferunt v. 255: truculenta ferunt infestaque lumina corpus alter in alterius;

cf. Aen. 11,370;

firmat v. 412: tacita firmat quod (elogium) littera voce.

Traditum est in codicibus ΓVC *firmat*, quod recepit in textum Vollmer; *forma* exhibet F, *firma* L. Aptissima esse mihi videtur sensui codicum ΓVC scriptura *firmat*; quod scripserunt Leo, Ribbeck, Ellis *format* non necessarium et minus aptum sensui. cf. Aen. 3,611.

fit v. 229: fit poena merenti;

item Vergilius hoc verbo usus est.

flagrant v. 220: diris flagrant latratibus ora;

cf. Verg. Aen. 12,167.

fluitat v. 357: praeda ... in aequoreo fluitat ... fluctu.

De versus 357 lectione nonnulla dicenda sunt. Codices ΓV hunc exhibent versum:

omnis in equoreo fluit atia (fluitat iā V) naufraga (-ge Γ) luctu (fluctu V^2).

In ceteris libris correctio quae videbatur *fluctuat* pessum dedit tradita; leviter in

S: *omnis in equoreo fluctuat naufragia luctu*;

gravius in FCL:

F: *omnis fluctuat in aequoreo naufragia luctu*;

CL: *fluctuat omnis in equoreo naufragia luctu*[1]).

Mea quidem sententia bene dicta sunt quae habent ΓV:

omnis in aequoreo fluitat iam naufraga fluctu;

item scripserunt Ribbeck, Ellis, Vollmer.

Fluitandi verbum Vergilius haud aliter usurpavit, cf. Aen. 5,867; 10,306.

***foderet** v. 393: foderet de caespite terram.

Traditum est in Ω: *gramineam viridi foderet de caespite terram*; *ut* post *viridi* addidit V^2, post *gramineam* habet Bem-

---

1) cf. Vollmer, ed. p. 63.

bus, quod Birt propter synaloepham improbavit; scripsit Birt *fodit et,* quod non admodum probabile esse dicit Leo inter verba quae sunt *repetivit* et *cumulavit.* Addiderunt *ut* post *gramineam* (ut Bembus) Ribbeck et Vollmer, post *viridi* (ut V^2) Ellis. Birtii emendatio mihi placuit maxime, sed certum aliquid dici non potest.

Quod ad vim pertinet fodiendi verbi, in Culice habes aliam atque apud Vergilium. Vergilius ter posuit *fodio,* sed semper alium verbo subiecit significatum: cf. georg. 1,183 *fodere cubilia talpae* i. e. Germanice „durch Graben machen“; georg. 2,408 *humum fodito*, i. e. „durch Graben bearbeiten, umgraben“; Aen. 6,881 *equi foderet calcaribus armos,* i. e. „durchstechen, durchbohren“; scriptor autem Culicis huic verbo notionem tribuit eruendi aliquid fodiendo (*foderet de caespite terram,* i. e. „etwas durch Graben herausgraben aus ...“), quae vis legitur apud Ovidium: Pont. 3,8,6 *hostis ab agricola vix sinit illa* (sc. *metalla) fodi*; cf. Plin. nat. 36,182 *e terra foditur (gypsum).* (Liv. 28,3 *argentum incolae fodiunt*; Lucan. 7,755).

formavimus v. 2: tenuem formavimus orsum;

eundem huius verbi usum vidi apud Vergilium.

fovet v. 152: corpora lympha fovet;

cf. Aen. 12,420.

frangitur v. 342: omne propinquo frangitur invidiae telo decus;

saepius invenitur apud Vergilium.

***fremunt** v. 153: argutis et cuncta fremunt ardore cicadis.

Etsi Culicis scriptor *fremo* similiter usurpavit ac Vergilius, tamen durius erat verbum quam ut Vergilius hoc loco poneret. Is enim simillimo loco pro *fremunt* multo aptius dixit *resonant:* ecl. 2,13 *sole sub ardenti resonant arbusta cicadis.*

fremunt v. 325: *rursus acerba fremunt*;

eadem verba leguntur apud Vergilium: Aen. 12,398 *acerba fremens (Aeneas)*; poetarum alter alterum imitatus esse videtur.

fugarat v. 44: crinibus et roseis tenebras Aurora fugarat;

hic quoque Culicis locus tam similis est versibus nonnullis Vergilianis, ut poetarum alter ex altero hausisse videatur: vide

imprimis Aen. 10,257 .... *dies noctem fugarat* et 5,42 ... *stellas fugarat dies* (cf. 3,589; 4,7; 6,535; 7,26; 11,210).

fundebant v. 130: candida fundebant tentis velamina ramis; non discrepat huius verbi usus a Vergiliano.

furit v. 179: furit stridoribus (serpens); similis est furendi verbi usus Vergilianus.

gaudet v. 36: gaudet (pagina) currere carmina, ... ludere versu (carmina).

Habes hoc loco duplicem constructionem: in priore membro pagina gaudet, quod carmina currant, in altero ipsa ludere gaudet. Et haec et illa constructio invenitur apud Vergilium: cf. Aen. 2,239 et 12,109.

***gerit** v. 327: huic gerit aversos[1]) proles Laertia vultus.

Verba sic intellego: *Proles Laertia gerit vultus huic aversos.* Quamquam Vergilius similiter usus est gerendi verbo (cf. Aen. 1,315 *os habitumque gerens;* 12,472 *vocem et corpus gerens*), tamen dicendi modus huius versus — quem quomodo vertas laborabis — tam durus est, ut vix Vergilio dignum esse putem.

***haerebant** v. 51: scrupea desertas haerebant ad cava rupes (capellae);

i. e. *haerebant ad scrupea cava, desertas rupes.*

Haerendi verbum frequentavit Vergilius, sed cum in Culice *haereo* coniunctum sit cum accusativo et praepositione *ad (ad scrupea cava),* Vergilius semper fere construit cum ablativo — interdum cum dativo — sine praepositione, nonnullis locis cum ablativo et praepositione *(in* et *sub);* accusativum autem nusquam praebet.

Quam habet scriptor Culicis haerendi verbi constructionem vidi apud Senecam: Phoen. 112 *haerebo ad ignes,* praeterea apud Val. Flaccum: 3,641 *haeret ad ora ducis* (cf. Catull. 21,6).

Ceterum Vergilius loco Culicis versui 51 simillimo (ecl. 2,76) non dicit *haerere* capellas, sed *pendere*; *haerere* scripsit eodem sensu quo Culicis scriptor Seneca, Phaedr. 233.

---

1) *aversos* cod. Petav. Bembus, sic editores, sane recte; *eversos* Ω.

De versus 51 locutione, quae analogias habet et apud Vergilium (ecl. 2,3; 9,9) et apud Catullum (64,184) et apud Propertium (4,1,12), disseruit Leo p. 37.

horrent v. 221: anguibus ... horrent cui colla.

Traditum est in Ω *arent,* quod sensu caret hoc loco; Itali emendaverunt *horrent,* quod comprobatur Vergilii Aeneidis versu 6,419[1]) simillimo *horrere videns iam colla colubris,* quem versum Culicis scriptorem imitari voluisse mihi persuasum est.

horrent v. 371: moenia† rapidis[2]) Libycae Carthaginis horrent; item Vergilius horrendi verbum usurpavit.

horret v. 330: iam Ciconas iamque horret atrox Laestrygonas[3]) ipse;

cf. Verg. georg. 3,408; Aen. 10,880.

iacet v. 238: iacet alitis esca (Tityos);

frequentavit hoc verbum Vergilius.

iacit v. 103: qua iacit Oceanum[4]) flammas in utrumque rapaces (Hyperionis ardor);

cf. Aen. 10,480. — Similis est huic Culicis loco Aeneidis versus 7,100 *qua Sol utrumque recurrens aspicit Oceanum.*

ibat v. 342: ibat in altum vis Argea[5]) petens patriam; item Vergilius.

***icta erat** v. 187: erat naturae pupula telo icta levi;

i. e. *pupula icta erat naturae telo levi,* h. e. acumine.

Dicenda sunt nonnulla de textu. Quod exhibet Ω *Iacta erat* non aptum, mendum sane est librarii. Qua de causa scribendum est cum V²ς *Icta erat* sive cum Schradero, quod

---

1) cf. Sen. Herc. f. 786.

2) sic SFCL, *romanis* ΓV; *rapinis* Ribbeck, *Romanis* Vollmer, *vepretis* Haupt, *sub lappis* Ellis.

3) *lestrigone* nihil amplius Ω, *lestrigones ipse* V. – *Laestrygonas* Leo, *Laestrygonas ipse* Ribbeck, *Laestrygone limen* Ellis, *Laestrygone litus* Vollmer.

4) *Oceanum* VWAT (W = Augustanus Trier 1086, saec. IX—X), *Oceanus* ΓCBE (B = Bembinus Vatic. lat. 3252, saec. IX—X; E = Paris. lat. 8093 fol. 60—68, saec. X).

5) *Argea petens* Heinsius, *argoa petens (appetens Γ)* ΓV, *argo repetens (petens F)* SFCL.

fortasse paulo verisimilius est, *Tacta erat,* nam litterae T et I in manuscriptis tam similes erant inter se, ut facile librarius pro T > I falso scribere posset. Sed *icta* sive *tacta* legamus non multum interest; et hoc et illud sensui est aptissimum. Vergilius similiter usus est verbis quae sunt *icio* et *tango.*

Plusquamperfectum quod est *icta erat* sive *tacta erat* eiusdem generis est atque quod permultis invenitur locis Ovidianis potissimum, ut ista: *Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra, cum pater in capulo gladii cognovit eburno signa sui generis* met. 7,421 sq. — cf. Leo, p. 65.

***imminet** v. 57: at illa (capella) imminet in rivi ... undam.

Imminendi verbi eadem significatio propria occurrit apud Vergilium, sed cum scriptor Culicis hoc loco *immineo* cum accusativo coniungat et praepositione *in (in rivi undam),* apud Vergilium *immineo* construitur cum dativo (*populus antro* ecl. 9,42; *collis urbi* Aen. 1,420: proprie; *hostis muris* Aen. 10,26: translate); interdum utitur Vergilius absolute.

Imminendi verbum cum accusativo et praepositione *in* coniunctum apud prosae tantum orationis scriptores vidi: cf. Cic. Phil. 5,20 *in fortunas nostras imminebat*; dom. 47 *imminere ... videntur in tribuniciam potestatem*; Liv. 30,28 *quo magis in propinquam eam imminebant animis, eo curae erant intentioris*; 25,20 *in occasionem imminebat*; 23,16; sed his locis *immineo* translate positum est (ut Cul. v. 90), non proprie ut in Culicis versu 57.

***imminet** v. 90: huc[1]) imminet, omnis dirigit huc sensus.

Qui legitur in Culicis versu 90 imminendi verbi significatus recedit a Vergiliano. Valet enim in Culice *imminere* idem, quod avide appetere, studere, incumbere, quae vis aliena est a Vergilio.

Inveni primum apud Ovidium: cf. met. 1,146 *imminet exitio vir coniugis, illa mariti*; am. 3,4,18 *sic interdictis imminet aeger aquis;* deinde apud Senecam: cf. Phaedr. 855 *morti imminet.*

---

1) huic Γ^1VE^{1}T^{1}W, sic Vollmer; *huc* Exc. CBA, sic Leo, Ribbeck, Ellis.

Praeterea, ut iam antea dixi, apud Ciceronem et Livium (cf. exempla, quae supra enotavi) exstat; adde Sen. epist. 2 in fin. *alieno imminet*; Curt. 9,4 *deditioni imminebant*; 5,30 *occasioni imminens alloquendi eum*; Tac. ann. 16,14 *imminere rebus*.

***immoritur** v. 354: immoriturque super fluctus et saxa Capherei (copia).

Verbum quod est *immorior* frustra quaeres apud Vergilium, qui simplici usus est *morior* pro composito *immorior*.

Legi *immorior* primum apud Ovidium: cf. met. 6,296 *illa sorori immoritur*; 7,571 *et ipsis immoriuntur aquis*; Pont. 3,7,40 *fortiter Euxinis immoriemur aquis*; praeterea occurrit apud Senecam (cf. Phaedr. 712 *ut ... manibus immoriar tuis*; Herc. O. 869 *huic decet ferro immori*), Lucanum (cf. 3,613 *diriguitque tenens strictis immortua nervis (manus)*), Val. Flaccum (cf. 6,570 *hastae immoritur*), Statium (cf. Theb. 1,481 *aura superstes immoritur velis*).

implicuit v. 200: hoc minus implicuit[1]) dira formidine mentem;

eundem huius verbi usum apud Vergilium vidi.

inferre v. 310: vulnera ...... inferre paratos (Troas); cf. Aen. 3,248; 7,337; 604.

***infringere** v. 177: instat lumina ... intendere et obvia ... saepius[2]) arripiens infringere.

Non diversus est huius verbi usus Vergilianus a Culicis scriptoris. Sed Vergilio nulla verbi forma nota est nisi part. perf. pass. (cf. Aen. 5,784; 7,332; 12,387; 9,499; 10,731; 12,1).

Verbum ipsum habet post Plautum et Terentium primus Lucretius (cf. 3,155 *infringi linguam*); exstat deinde apud Horatium (cf. epod. 11,22 *postis et heu limina dura, quibus lumbos et infregi latus*), Ovidium (cf. met. 9,86 *dum tenet, infregit*; 10,190 *ut siquis violas riguove papaver in horto liliaque infringat*; trist. 2,412 *infregisse suis fortia facta modis*), Val. Flaccum (6,199 *infracta est vulnere cervix*; 5,411 *infringitur unda*), Statium (cf. Ach. 1,575 *digitosque sonanti infringit citharae*).

---

1) *implicuit* Ω, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *implevit* V¹T, sic Ellis.

2) *saepius* Ω, item Leo, Ellis, Vollmer; *saevius* Bothe, Ribbeck.

*iniunxit v. 299: quorum (Aeacidarum) conubis Venus et Virtus iniunxit Honorem.

Ne iniungendi quidem verbum Vergilius admisit, usurpavit autem et simplex *iungo* et composita *abiungo, adiungo, coniungo.*

Iniungo a poetarum sermone omnino alienum est. Posuerunt Caesar, Cicero, Livius, Columella, Plinius min., Tacitus, Suetonius alii:

proprie: Liv. 37,26 *vineas et aggerem muro iniunxit;* cf. 5,7; Colum. 8,3 *fenestellis scandulae iniungantur;* cf. 6,2 et saepius;

translate: Caes. Gall. 7,77 *his (civitatibus) aeternam iniungere servitutem;* civ. 2,18; Cic. epist. (ad fam.) 11,13 *ne quod detrimentum rei publicae iniungant;* Liv. 5,4 *alicui novum laborem iniungere;* 39,37 et saepius; Plin. paneg. 86 *sibi tormentum iniungere;* epist. 2,18 et saepius; Tac. Germ. 25 *frumenti modum dominus aut pecoris aut vestis ut colono iniungit;* Agr. 15 et saepius; Suet. Tib. 24 *onerosam iniungi sibi servitutem.*

*inquit v. 210: inquit: ‚quis[1]) meritis ad quae[2]) delatus[3]) acerbas cogor adire vices?'

Positum est *inquit* in codicibus VFCL, quod coniectura[4]) infectum fieri non potest, in orationis initio. Mira est sane haec verbi collocatio, sed exemplo non caret. Birtius iam monuit[5]) Catullum semel eam admisisse in carminis 55 versu 11, quem versum sic supplevit Birtius: *Quaedam inquit: ‚Nudum reduc* ⟨*amicum*⟩'. Alia exempla apud Charisium grammaticum et apud iuris consultos (cf. Kalb, „Roms Juristen" a. 1890, p. 64) reperiuntur:

cf. Keil, gramm. lat. vol. I, p. 114,1 (Charisius): *Romanus libro de analogia ita inquit: ‚Alacris, licet consuetudo, ut ait Plinius libro VI dubii sermonis, alacer dicat, ut equester ordo'.* e. q. s.; p. 120,11 *nam et Sisenna inquit eum qui diceret pater*

1) traditum est *quid; quis* scripsit Heyne, sane recte, item Leo, Ribbeck, Ellis, Vollmer.

2) *ad que* VW, *ad quem Γ*, *atque* FCL.

3) *delatus Ω*, *dilatus* CBE.

4) *quis, inquit, meritis* emendavit Heyne, quem secuti sunt editores.

5) Philol. 1904, p. 448 sq.

familiae, patrum familiarum oportere dicere; Corp. iuris D. 38,4 l. 13, § 2 *quod inquit senatus: ‚si ex liberis quis in civitate esse desisset', eum significat, qui in perpetuum in civitate esse desierit, non etiam si quis ab hostibus captus reverti possit;* D. 33,6 l. 3, § 1 *et Celsus inquit vino legato, etiamsi non sit legatum cum vasis, vasa quoque legata videri, non quia pars sunt vini vasa . . ., sed quia credibile est mentem testantis eam esse, ut voluerit accessioni esse vino amphoras*[1]).

***inscendere** v. 236: conati quondam cum sint inscendere[2]) mundum.

Verbum quod est *inscendo* Vergilius nusquam adhibuit, cum et simplici usus sit *scando* et compositis *ascendo, conscendo, descendo.*

Poetarum nemo nisi Plautus habere videtur, qui saepius posuit: cf. Amph. 450 *quadrigas si nunc inscendas Iovis;* Asin. 776 *in lectum inscendat proxumum;* Aul. 678 *inscendam aliquam in arborem;* exstat praeterea apud pedestris orationis nonnullos scriptores: Cato, agr. 127 *supra pilam inscendat;* Cic. div. 1,47 *inscenderet in rogum ardentem;* Suet. Nero 48 *equum inscendit;* Gell. 5,2 *haud unquam inscendi sese ab alio, nisi a rege passus sit* (de bucephalo).

insederat[3]) v. 279: turba ferarum blanda voce sequax regionem insederat Orphei;

cum accusativo *(regionem),* item Vergilius: cf. Aen. 2,616; 10,59.

***inseritur** v. 411: his (sc. floribus) tumulus super inseritur.

Haec verba insolentissime scripta esse iam Birtius monuit (de hal. Ov. p. 48).

Inserendi verbum legi apud Vergilium. Recedit autem huius verbi significatio Vergiliana a Culicis scriptoris. Cum enim apud Vergilium *insero* semper idem valeat quod lingua

---

1) Hos locos mihi Caroli Oertel, seminarii sodalis benignitate innotuisse grato animo profiteor.

2) *rescindere caelum* Vossianus ex Vergilio interpolavit (cf. Aen. 6,583; georg. 1,280).

3) *insederat* VS, quod rectius est quam quod exhibent CL *insiderat; insederat* scripserunt editores quoque.

vernacula „pfropfen“ (cf. ecl. 1,74 et 9,50 *insere piros;* georg. 2,302 *truncos;* 2,50 *siquis inserat;* 2,69 *inseritur arbutus nucis fetu;* 2,33 *insita mala),* in Culice conserendi notionem habet, i. e. Germanice „besäen, bepflanzen“.

Quem praebet scriptor Culicis inserendi verbi significatum apud nullum vidi poetam. Semel occurrit fortasse apud Columellam: 5,7 *si frumentum inseritur,* quamquam hoc quoque loco *insero* non plane idem est quod in Culice.

insistere v. 239: tantis insistere terreor umbris; similiter Vergilius hoc verbum usurpavit.

instat v. 175 et 321:

175: acrior instat lumina diffundens intendere;

321: vulnera . . . depellere navibus instat.

Verbum quod est *insto* Vergilius quoque cum infinitivo coniunxit: cf. Aen. 2,627; 10,118. — Ceterum verba quae sunt *acrior instat* (Cul. 175) item apud Vergilium leguntur: georg. 3,154; poetarum alter ex altero sumpsisse videtur.

intendere v. 176: acrior instat lumina diffundens intendere; similiter Aen. 7,251 *intentos oculos;* cf. 7,514 *vocem intendit.*

***intonat** v. 179: intonat ore (serpens).

Sic traditum (VFCL); quod scripsit Vollmer cum *Γ insonat* mihi non placuit; *intonat* receperunt Leo, Ribbeck, Ellis.

Hoc loco iterum poetarum alterum imitatum esse alterum iam Leo vidit (p. 63). Eadem enim verba quae in Culice Vergilii in versu Aeneidis 6,607 leguntur. Sed quod Vergilius hoc loco de furiarum maxima dicit apte *intonat ore,* id scriptor Culicis de serpente posuit inepte.

***intravit** v. 206: intravit levior per corpora somnus.

Huius verbi constructio abhorret a Vergiliana. Coniunxit enim Vergilius *intro* semper cum accusativo sine ulla praepositione, scriptor autem Culicis cum accusativo et praepositione *per (per corpora),* quod fecit praeterea Martialis 11,98 *rimas per omnes basiator intrabit.* (Ovidius bis habet accusativum et praepositionem *in:* met. 7,492 *in portusque intrat amicos;* 14,656 *cultosque intravit in hortos).*

iret v. 341: ne quisquam ... iret inevectus caelum super; non discrepat hic eundi verbi usus a Vergiliano. Ceterum cf. catal. 3, v. 1 et 2, ubi aliis verbis dicit Vergilius similia atque Culicis scriptor: *Aspice quem valido subnixum gloria regno altius et caeli sedibus extulerat* (de Alexandro).

De voce quae est *inevectus* (cf. v. 101) infra accuratius agetur.

***ite** v. 18: quare, Pierii laticis decus, ite, sorores Naides, et celebrate deum.

De verbo quod est *ite* iam Baurius (l. c.) recte dixit: Sonat enim *ite* Culicis in versu 18 idem quod *venite* („kommet her! eilet herbei!"), apud Vergilium autem, qui hanc notionem non exhibet, saepius positum est pro *abite* (cf. ecl. 1,75; 7,44; 10,77; Aen. 4,381; 7,425 et saepius).

Vidi quem habes in Culice verbi *ite* significatum primum apud Plautum: cf. Bacch. 1175 *i hac mecum intro;* deinde apud Ovidium: cf. met. 6,159 *Ismenides, ite frequentes;* am. 2,12, 1 *ite triumphales circum mea tempora laurus.*

iussisset v. 162: ni Fors incertos iussisset ducere casus; persaepe Vergilius *iubere* eodem modo usus est.

labitur v. 17: liquido pede labitur unda;
cf. Aen. 6,132; 8,91.

***lacerant** v. 61: quae (curae) lacerant avidas inimico pectore mentes.

Lacerandi verbum novum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens praebet.

Usurpat enim Vergilius lacerandi verbum semper proprie (cf. Aen. 3,41; 12,98; ecl. 6,77), scriptor autem Culicis vim translatam verbo tribuit, quae post Plautum et Terentium primum invenitur apud Ovidium (cf. Pont. 4,16, 1 *quid laceras Nasonis carmina rapti;* auct. epist. Sapphus [XV] v. 212 *quid laceras pectora nostra mora),* praeterea apud Lucanum (cf. 10,45 *nulloque herede relicto totius fati lacerandas praebuit urbes).*

***laetantur** v. 298: Peleus ... et Telamonia virtus per secura patris laetantur numina.

Verba sic vertenda esse mihi videntur: „Peleus und Telamon freuen sich, sind frohen Mutes, d. h. sorglos durch *(per)*, d. h. infolge, wegen, ob *(per* i. q. *propter)* des sicheren Willens, Geheißes od. der sicheren Macht ihres Vaters Aeakus als Totenrichter".

Verbum quod est *laetari* Vergilius saepius adhibet, sed apud eum *laetari* semper idem est quod Germanice „sich freuen über etw.", vel „seine Freude an etw. haben" coniungiturque sive, quod saepius fecit poeta, cum ablativo sine praepositione, sive cum genitivo (Aen. 11,280), sive cum accusativo (Aen. 10,740), sive cum accusativo et infinitivo (Aen. 6,392). Quem habet scriptor Culicis verbi usum nusquam vidi.

laetatur v. 329: iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis, Pallade iam laetatur ovans;

hic autem laetandi verbi usus notus est Vergilio, item verbi insequentis:

***laetatus erat** v. 322: hos[1]) erat Aeacides vultu laetatus honores . . ., alter (sc. laetatus erat) quod . . . lustravit . . . Troiam,

quamquam in altero membro constructio est alia atque apud Vergilium. Dicit enim carminis scriptor *laetatus erat quod,* Vergilius autem *laetari* cum accusativo coniunxit et infinitivo (Aen. 6,392 *laetatus sum me accepisse Alciden).*

Laetari quod exhibent Cicero (cf. Att. 16,7,5 *se autem laetari, quod effugissem duas maximas vituperationes;* Phil. 11,9 *ut in hoc sit semper ipse laetatus, quod ea faceret)* et Livius (28,25 *laetari quod nihil tristius nec insanabilius esset).*

languescere v. 201: quem postquam vidit caesum languescere, sedit;

cf. Aen. 9,436.

***letat** v. 325: fremunt, Paris hunc quod letat.

Verbum quod est *letare* a Vergilii sermone omnino alienum est, nam Vergilius pro *letare* dicit *leto dare* (aliquem), quod apud alios quoque poetas legitur.

---

1) *hoc Ω, hos* Haupt, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *hoc . . . honore* Ellis.

Letare finxisse Ovidium indeque prompsisse sibi Culicis scriptorem iam Birtius dixit („ad hist. hex. lat.“ p. 41): cf. Ov. Ib. 501 *quique Lycurgiden letavit, et arbore natum, Idmonaque audacem, te quoque rumpat aper;* met. 3,55 *ut nemus intravit letataque corpora vidit.*

***liget** v. 93: iucundoque liget (ut) languentia corpora somno.

Quod traditum est in *Ω licet* rectum esse non potest, nam sensu caret. Quare recipienda erit codicum VW scriptura *liget* quae simillima est archetypi lectioni *licet.* Ad sensum autem aptius est fortasse quod exhibent excerpta *levet* (cf. Hor. carm. saec. 63 *levat arte fessos corporis artus;* similiter Tib. 4,4,10 *quicumque et cantus corpora fessa levant* et Verg. Aen. 10,834 *corpusque levabat); liget* scripserunt Leo et Ellis, *levet* Ribbeck et Vollmer.

Verbum quod est *ligo* Vergilius semel modo (Aen. 2,217) posuit, sed hoc loco ligandi verbi significatio est alia atque in Culicis versu 93. Sonat enim apud Vergilium *ligare* idem, quod Germanice „jmd. umwinden, umschlingen“ (de serpentibus: *ligant (ipsum, Laocoonta) spiris ingentibus;* similiter Cul. 141): proprie; in Culice autem idem est quod „binden“, i. e. „fesseln“: translate.

Atque hanc vim translatam post Propertium (cf. 4,4, 82 *pacta ligat pactis ipsa futura comes)* saepius legi apud Ovidium: cf. met. 1,25 *dissociata locis concordi pace ligavit;* 9,550 *iunctior esse expetit et vinclo tecum propiore ligari;* praeterea apud Senecam (cf. Herc. O. 453 *artibus magicis fere coniugia nuptae precibus, admixtis ligant)* et Statium (cf. silv. 4,3, 75 de flumine: *et ripas habitare nescientem recti legibus alvei ligasti).*

Sed nusquam *ligare* scriptum est de somno.

locatur v. 411: tum fronte locatur elogium;
cf. Aen. 1,213; 3,17; 2,33.

loquetur v. 8: posterius graviore sono tibi musa loquetur; eodem modo Vergilius hoc verbum posuit.

ludere v. 36: gaudet (pagina) ludere versu (carmina) apta viribus suis;
ludere versu vel *versibus* Vergilius quoque dicit: ecl. 6,1 et georg. 2,386; (cf. ecl. 1,10 *ludere calamo;* georg. 4,565 *ludere*

carmina). Fortasse his locis poetarum alter denuo ex altero hausit.

lusimus v. 1 et 3: Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia, ...; lusimus;

haud aliter Vergilius; cf. ecl. 6,1, qui versus iterum similis est Culicis loco: *ludere ... Thalia.*

lustravit v. 324: Hector lustravit devicto corpore Troiam.

Sic Forbiger scripsit; aliter Bembus: *Hectoreo victor lustravit corpore Troiam;* quod praebet *Ω*: *Hectora lustravit victor de corpore Troiam* rectum esse non potest.

Idem lustrandi verbi usus notus est Vergilio: cf. Aen. 9,58; (10,224). Simillimus est Ovidii Ibidis versus 332 *vel qui, quae fuerat tutatus moenia saepe, „corpore lustravit" non diuturna suo.*

***maculatur** v. 172: crista superne edita purpureo lucens maculatur amictu.

Maculandi verbum Vergilius quoque proprio sensu posuit (cf. Aen. 3,29), sed in malam partem (Germanice „beflecken, durch Flecke besudeln, verunreinigen, beschmutzen")[1]), scriptor autem Culicis in bonam partem („gefleckt, fleckig, bunt machen"; hoc loco „fleckig sein"; cf. Cul. 164), quod fecit, ut exemplo utar, Val. Fl. 6,704: *et multo maculatam murice tigrim.*

Sed et adiectivum *maculosus* et substantivum *macula* Vergilius in bonam partem usurpavit; cf. georg. 3,427: de serpente ut in Culice; Aen. 1,323; 5,566.

maeret v. 253: quo[2]) Bistonius rex orbus, epops, maeret;

idem huius verbi usus apud Vergilium exstat: cf. georg. 3,518.

***manant** v. 181: manant sanguineae per tractus undique guttae.

Similiter Vergilius manandi verbum adhibuit (cf. Aen. 3,43), quamquam non scripsit ut is, qui carmen fecit, manare aliquid *per* aliquid, nam nullo loco addidit quo quid manet.

Vide autem Lucr. 6,927 *nec varii cessant sonitus manare per auras;* Hor. carm. 4,1,34 *cur manat rara meas lacrima per*

---

1) item Aen. 10,851, ubi habes vim translatam.

2) *quod Ω, quo* V, item editores.

genas; Ov. epist. 18,25 *lacrimae per amantia lumina manant;* Cic. nat. deor. 1,40 *aer per maria manaret.*

Ceterum simillimus est Culicis versui 181 Ovidii metamorphoseon locus 2,360, ubi ut in Culice scriptum est manare sanguineas guttas: *at inde sanguineae manant, tamquam de vulnere, guttae;* cf. 10,500 *tepidae manant ex arbore guttae.*

***manaret** v. 306: Teucria cum magno manaret sanguine tellus.

Hic quoque manandi verbi usus a Vergiliano discrepat. Dicit enim Vergilius semper umorem ipsum manare (de aliqua re: cf. Aen. 3,43 vel aliqua re: cf. Aen. 3,175)[1]) ponitque rem, quae manat, in casu recto *(cruor* Aen. 3,43; *sudor* 3,175; *flumina* georg. 3,310; *cruor* georg. 1,485), in Culice autem non umor manat, sed *tellus (dextra* v. 257) resque ipsa, quae re vera fluit, in ablativo *(sanguine)* ponitur, i. e. lingua vernacula „fließen, triefen von etwas", hoc loco: „Das Land floß" vel „strömte von Blut" (cf. Cul. v. 78).

Idem discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens verbum insequens nobis praebet:

***manat** v. 257: impia germani manat quod sanguine dextra; „Die Hand trieft vom Blute."

Qui legitur in Culice manandi verbi usus occurrit apud Catullum: cf. 64,344 *cum Phrygii Teucro manabunt sanguine campi,* qui versus simillimus est Culicis versui 306 (cf. Stat. Ach. 1,86); praeterea invenitur apud Ovidium: cf. met. 13,629 *et Polydoreo manantem sanguine terram linquit;* 4,674 *manabant lumina fletu;* epist. 10,55 *lacrimisque toro manante profusis.*

mandaverat v. 160: securo pressos somno mandaverat artus; similiter Vergilius: cf. Aen. 11,23.

maneat v. 39: et tibi sede pia maneat locus;
item Aen. 1,257 *tibi manent immota tuorum fata.*

manent v. 141: ilicis et nigrae species nec laeta[2]) cupressus umbrosaeque manent fagus hederaeque.

1) cf. Cul. v. 148: ex aliqua re.

2) *et laeta Ω, nec laeta* Heinsius, item Leo et Ribbeck, *et fleta* Ellis, Vollmer.

Quod traditum est *manent* scribendum, non *monent,* ut nonnulli volebant. cf. Leo p. 54.

Simili modo Vergilius manendi verbum posuit.

***manet** v. 66: lapidum nec fulgor in ulla cognitus utilitate manet.

Valde obscurus est huius loci sermo neque unde veniat dici potest. Leo cum Silligio et Hauptio verba sic intelligit: *et lapidum fulgor in nulla utilitate cognitus.* Verbum autem quod est *manet* Hauptius sensu carere dicit et si cum Schradero scribatur *movet* negationem desiderari. Coniecit igitur *manum nec pocula Graiam Alconis referunt,* quod refutavit Leo propter mutationis audaciam et metricas ob causas (p. 40). Buechelerus autem verba *nec lapidum fulgor cognitus manet* — quod concedit Leo — probum sensum praebere existimat dicitque haec (mus. Rhen. vol. 45, p. 327): „quod praecedit verbum v. 66 *nec fulgor manet,* etsi temporis est praesentis, vi tamen ac natura sua vicem gerit futuri, dicitur enim hoc ‚et fulgor lapidum nulla utilitate cognitus erit', sed quo intentior fiat et obstinatior negatio, ‚incognitus manet'". Aliter sentit iterum Leo (p. 41), sed coniecturam non facit.

Certum est sic artificiose scripsisse poetam vix ut intelligi possit. Valet hoc loco Culicis *manere* idem fere quod *esse* probaturque hic usus Sili Italici exemplo 12,116 *ast hic Lucrino mansisse vocabula quondam Cocyti memorat.*

Accuratius de hoc loco egit Leo p. 40 sq.

manet v. 266: ecce Ithaci coniunx semper decus Icariotis, femineum conspecta[1]) decus, manet et procul illa[2]) turba ferox iuvenum ... procorum.

Verbum *manet* vel ad Ithaci coniugem et turbam procorum pertinet, vel, quod verisimilius esse mihi videtur, ad procos tantum.

Non deflectit hic manendi verbi usus a Vergiliano, cum verbi insequentis iterum recedat:

---

1) *concepta Ω,* item Ribbeck, Ellis, Vollmer; *conspecta* Birt, quem secutus est Leo.

2) *illa ΓV, illam* SCL.

***manet** v. 269: poenaque[1]) respectus et nunc manet, Orpheus, in te?

Sic traditum. Vitavit Vergilius ne scriberet *manet* aliquid *in te,* sed semper fere dicit *te* aliquid *manet* (cf. Aen. 7,596 *te .. manebit supplicium;* item Tib. 1,8,77 *te poena manet*), semel *tibi* (Aen. 1,257 *manent immota tuorum fata tibi;* item Catull. 8,15 *quae tibi manet vita).*

Quod habet scriptor Culicis *manet* aliquid *in te* exemplo comprobare nequeo.

manet v. 296: vos manet heroum contra manus;

item Vergilius *manere* usurpavit.

meminisse v. 295: dignus amor venia; gratum, si Tartara nossent, peccatum: meminisse gravest[2]).

Eodem modo Leo, Ellis, Vollmer distinguunt.

Verbum quod est *memini* saepius legitur apud Vergilium: cf. Aen. 2,12.

memoretur v. 40: et tibi sospes debita felices memoretur vita per annos;

ne huius quidem verbi usus alienus est a Vergilio.

***metabat** v. 174: metabat sese circum loca.

Quod ad hoc verbum pertinet Culicis scriptoris sermo magnopere discrepat a Vergiliano. Nam activam formam *metare,* quam testatur hic Culicis versus, non solum vitavit Vergilius, sed omnino exemplo probari non potest. Vergilius pro activo *metare* habet deponens *metari* (cf. georg. 2,274 *si agros metabere*); cf. Ov. fast. 1,309; Sen. Phaedr. 506.

Passiva autem forma invenitur apud Senecam: cf. Thy. 462 *nullus mihi ultra Getas metatur et Parthos ager.* (cf. etiam Hor. sat. 2,2,114 *metato in agello;* carm. 2,15,15 *nulla decempedis metata ... porticus.* — Liv. 44,37).

Haupt pro *metabat* scripsit *metatur,* sed traditum eaque de causa in textum recipiendum de quo non dubitatur *metabat;* sic editores quoque.

---

1) *poenaque Ω, poenane* Schenkl, item Ellis et fortasse Leo.

2) *graves tuos Ω, gravest vos* Leo, item Ellis et Vollmer *(grave est),* recte, ut mihi videtur.

***micant** v. 222: sanguineique micant ardorem luminis orbes.

Verbum quoque quod est *micare* discrimen exhibet inter Vergilium et Culicis scriptorem intercedens. Posuit enim Vergilius *micare* semper intransitive (Aen. 12,102 *oculis ignis micat;* 9,189 *lumina micant;* et saepius), scriptor autem Culicis, quod inusitatissimum est nulloque comprobatur exemplo, transitive: *orbes sanguinei luminis micant ardorem* (*micare* cum accusativo coniunctum).

Tamen similis est hic Culicis locus versibus nonnullis Vergilianis: cf. imprimis Aen. 12,102 *oculis micat acribus ignis;* praeterea 12,670 *ardentes oculorum orbes.*

micat v. 173: aspectuque micat[1]) flammarum lumine[1]) torvo.

Sic traditum est. Quamquam Italorum emendatio *micant ... lumina* (cf. Aen. 9,189) ad sensum fortasse aptior est, tamen quod exhibet *Ω micat ... lumine* retinendum erit, nam sensu non caret: aspectum appellat poeta torvum *flammarum lumine;* sic Leo quoque intelligit verba.

Sive *micat .. lumine* scribis sive *micant ... lumina,* hic micandi verbi usus non abhorret a Vergiliano.

***minatur** v. 351: iamque superne corripere et soles[2]) et sidera cuncta minatur (maris unda);

minatur recte emendavit Heyne, quem secuti sunt editores; traditum est *minantur.*

Huius verbi constructio a Vergiliana differt. Coniunxit enim Vergilius minandi verbum cum infinitivo futuri (Aen. 12,654 *summasque minatur deiecturum arces Italum excidioque daturum (Aeneas)*), scriptor autem Culicis cum infinitivo praesentis *(corripere minatur),* quae constructio raro invenitur.

misit v. 188: illum obtritum morti misit;

similiter Aen. 12,514 (cf. 9,785).

modulatur v. 100: modulatur harundine carmen;

---

1) *micat Ω,* Leo, *micant ς,* item Ribbeck, Ellis, Vollmer; *lumine Ω,* Leo, *lumina Aς,* sic Ribbeck, Ellis, Vollmer.

2) *solis* VSFCL, *soles Γ.*

similis est versus Vergilianus: ecl. 10,51 *carmina modulabor avena;* eadem autem verba quae in Culice occurrunt apud Ovidium: rem. 181 *pastor inaequali modulatur harundine carmen.*

monet v. 184: mortem vitare monet per acumina;

monendi verbum cum infinitivo coniunctum Vergilius quoque praebet: cf. Aen. 10,439 *soror Turnum monet succedere Lauso,* i. e. Germanice „ermahnen", ut in Culice.

morata est v. 264: saeva mariti ... Admeti cura[1]) morata est.

Quod traditum *cura* mea quidem sententia bonum habet sensum neque eget emendatione. Verba sic intellego: *cura Admeti* (i. e. „ihre Sorge um Admet": Subjekt) *saeva* (sc. *fata*) *mariti* (h. e. „das grausame Geschick ihres Gatten": Objekt) *morata est.*

Huius verbi usum apud Vergilium inveni.

moverat v. 280: iamque imam viridi radicem moverat alte quercus humo;

Vergilius similiter hoc verbum usurpavit (cf. georg. 1,460; Aen. 5,349).

mutatur v. 348: undique mutatur caeli nitor;

mutandi verbum Vergilius item posuit.

mutaverat v. 128: quibus ... Phaethon luctu mutaverat artus;

simillimus est locus Vergilianus: ecl. 6,78 *mutatos artus.*

mutavit v. 136: illas (quercus) Triptolemi mutavit sulcus aristis;

hic quoque versus tam similis est versui Vergiliano, ut poetarum alterum transscripsisse alterum mihi persuasum sit: cf. georg. 1,8 *tellus glandem mutavit arista.*

nascitur v. 55: quae nova nascitur alnus;

frequentavit hoc verbum Vergilius: cf. georg. 2,68; ecl. 3,107; georg. 2,85.

nossent v. 294: dignus amor venia; gratum, si Tartara nossent, peccatum;

---

1) *cura Ω*, *fata* Bembus, *iura* Unger et fortasse Leo, *tura* Ribbeck.

non differt huius verbi usus a Vergiliano. — Simillimus est huic loco versus CEL. 576 B 3 *credo tibi gratum, si haec quoque Tartara norunt* (cf. Leo, Gött. Gel. Anz. a. 1911, p. 135).

notat v. 71: florida cum tellus gemmantis picta per herbas,
vere notat dulci[1]) distincta coloribus arva;

non ignotus est Vergilio qui exstat in Culice notandi verbi significatus: cf. Aen. 12,174.

novant v. 410: quoscumque novant vernantia tempora flores; haud aliter Vergilius hoc verbum posuit.

***obcaecaverat** v. 199: timor obcaecaverat artus.

Verbum quod est *obcaecare* vel *occaecare* non legitur apud Vergilium; neque simplex *caecare* neque composita admisit.

Occaecandi verbum solutae potissimum orationis est proprium. Posuerunt: Cicero: cf. Cato 51 *quae cum gremio mollito ac subacto sparsum semen excepit, primum id occaecatum cohibet;* de orat. 2,329 *narratio obscura totam occaecat orationem;* epist. (ad fam.) 15,1 *quod ego negotium non stultitia occaecatus, sed verecundia deterritus non recusavi;* et saepius; Livius: cf. 33,7 *densa caligo occaecaverat diem;* 42,43 *ni spes vana pacis occaecasset consilia;* et saepius; Celsus: cf. 8,4 *oculos occaecet;* et saepius; Columella: cf. 2,2 *ubi solutior est humus, aliquae fiunt patentes, quaedam etiam occaecantur;* 3,7 *et velut ignorantiae tenebris occaecata luce veritatis caruit;* 6,36 *occaecatus cupidine.*

Poetarum habet Plautus: cf. Men. 181 *solem vides, satin ut occaecatust prae huius corporis candoribus;* praeterea Pacuvius apud Cic. de orat. 3,157 *noctisque et nimbum occaecat nigror.*

***obstrepit** v. 150: avium vox obstrepit aures.

Compositum *obstrepo* vitavit Vergilius, cum et simplex *strepo* et compositum *instrepo* (hoc semel tantum: georg. 3,173) usurpet.

Occurrit verbum quod est *obstrepo* primum apud Propertium (cf. 4,4, 4 *lucus erat felix hederoso conditus antro, multaque nativis obstrepit arbor aquis);* praeterea exhibent Hor. (cf. epod. 2,27 *fontesque lymphis obstrepunt manantibus;* carm. 2,18, 20

---

1) *dulci* Exc. Helmstad. ς, sic Leo, Ribbeck, Vollmer; *dulcis* Ω; *dubiis* V², item Ellis.

marisque Baiis obstrepentis urgues submovere litora), Ov. (cf. met. 4,392 *Tympana cum subito non apparentia raucis obstrepuere sonis;* fast. 6,10 *secretus ab omni voce locus, si non obstreperetur aquis),* Sen. (cf. Oed. 454 *garrula per ramos avis obstrepit),* Stat. (cf. Theb. 11,247 *pulsis exercitus obstrepit armis).* Sed unum tantum inveni locum, ubi, ut in Culice, *obstrepo* coniunctum est cum accusativo *(obstrepit aures)*: cf. Plin. paneg. 26 *irritis precibus surdas principis aures obstrepebant* (i. e. Germanice „bestürmen"); solet enim construi cum dativo.

offert v. 85: saevis ultro caput hostibus offert;
Vergilius saepius hoc verbo eodem modo usus est.

***oppositus erat** v. 315: hinc erat oppositus contra Telamonius heros.

Quod ad hoc verbum pertinet, discrimen inter Vergilium et Culicis scriptorem intercedit. Posuit enim Vergilius similibus locis pro forma passiva, quam praebet Culex *(oppositus erat),* reflexivam *opponere sese* (cf. Aen. 5,335 *opposuit sese Salio,* 7,300 *opponere me profugis;* 11,115 *se morti)* coniunxitque cum dativo *(Salio, profugis, morti),* cum in Culice habeas *contra.* Passivi generis apud Vergilium nulla invenitur forma nisi part. perf.

oritur v. 24: meritis oritur fiducia chartis;
non recedit huius verbi usus a Vergiliano.

ornet v. 83: spoliis dum sancta deum fulgentibus ornet templa;
similiter Vergilius: cf. catal. 14,6.

pandebant v. 185: genas pandebant lumina gemmis;
notus est Vergilio hic pandendi verbi usus.

pati v. 374: vastum Phlegethonta pati (cogor);
similem huius verbi usum exhibet Vergilius.

***penetrabat** v. 42: igneus aetherias iam Sol penetrabat in arces.

Traditum est *penetrarat,* recipienda autem cum Leone, Ribbeckio, Vollmero Helmstadiensis emendatio *penetrabat,* nam plusquamperfectum viam Solis factam iam esse ostendit, habemus autem viae Solis initium: cf. v. 44 *tenebras Aurora fugarat;*

praeterea non meridie pastor educit capellas, sed mane (cf. Leo, p. 35 sq.).

Cum in Culice penetrandi verbum coniunctum sit cum praepositione *in* et accusativo *(in arces)*, apud Vergilium similibus locis habes accusativum sine ulla praepositione (cf. Aen. 7,363 *penetrat Lacedaemona pastor;* georg. 2,504 *penetrant aulas;* Aen. 1,243 *penetrare potuit sinus Illyricos);* bis autem invenitur praepositio *ad* et accusativus (cf. Aen. 9,10 *extremas penetravit ad urbes*; 7,207 *Phrygiae penetravit ad urbes)*, sed his versibus *penetrare* idem valet quod lingua vernacula „dringen bis zu einem Punkte", cum in Culice aliisque locis Vergilianis supra allatis idem significet quod apud nos „in etwas hineindringen".

Quae exstat in Culice penetrandi verbi constructio invenitur apud Ovidium: simillime met. 12,153 *et dis acceptus penetravit in aethera nidor*; cf. 2,260 *penetratque in Tartara rimis lumen*; 10,424 *gelidos nutricis in artus ossaque . . . penetrat tremor.*

Ceterum Vergilius georgicorum in versu 3,358, ubi de solis ortu loquitur, non dicit *penetrat in arces aetherias,* sed *petit altum aethera.*

petivit v. 46: excelsi montis iuga summa petivit;
persaepe Vergilius eodem modo hoc verbum posuit: similiter Aen. 11,544 *iuga petebat nemorum*; 5,180 *summa petit scopuli.*

petuntur v. 53: virgultis avide labrusca petuntur;
non abhorret hic petendi verbi usus a Vergiliano.

pingunt v. 144: pinguntque aureolos viridi pallore corymbos; cf. Verg. ecl. 2,50.

***plangat** v. 142: fraternos plangat ne populus ictus.

Verbo ipso, quod est *plango,* Vergilius aliter usus est. Posuit enim proprie et intransitive (cf. georg. 1,334 *nunc nemora vento, nunc litora plangunt,* i. e. „erdröhnen"), scriptor autem Culicis translate et transitive, i. e. „betrauern", quae vis invenitur apud Tib. (cf. 1,7,28 *Memphiten plangere docta bovem),* Val. Fl. (cf. 3,298 *meque tuus potius nunc plangeret error),* Stat. (cf. Theb. 11,117 *plangunt sua damna coloni*; 12,383 *mea funera plangis).* Absolute: Ov. met. 3,505 *planxere sorores Naides* (cf. Cul. v. 18) . . . *planxerunt Dryades: plangentibus assonat Echo*; 8,528 *planguntur matres.*

Praebet autem Vergilius participium *plangens,* quod, quamquam non plane eodem modo quo in Culice, tamen similiter adhibuit atque carminis scriptor: cf. Aen. 11,145 *plangentia agmina.*

***poliantur**[1]) v. 10: ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.

Hoc verbum magnum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens exhibet. Cum enim Vergilius verbum quod est *polio* proprio sensu adhibuerit (cf. Aen. 8,436 *polibant aegida squamis auroque*; 426 *iam parte polita,* i. e. „glätten"), is, qui carmen fecit, figurate posuit et translate de carminibus: *carmina poliantur,* h. e. „glätten, feilen, verfeinern".

Eandem huius verbi notionem vidi apud Ovidium, qui item de carminibus usus est *polio*: cf. Pont. 1,5, 61 *cur ego sollicita poliam mea carmina cura?* Similiter Phaedr. 1 prol. *Aesopus auctor quam materiam repperit, hanc ego polivi versibus senariis.*

ponit v. 102: lucidaque aetherio ponit discrimina mundo (Hyperionis ardor);

item Vergilius ponendi verbum scripsit, dicit autem pro *discrimina ponere* simili loco *discriminare*: cf. Aen. 11,143 *lucet via longo ordine flammarum et late discriminat agros.* — cf. Lucr. 5,690 *aequato caelum discrimine metans*; Ov. fast. 1,459 *postera lux hiemem medio discrimine signat.*

***poscit**[2]) v. 156: aura susurrantis poscit confundere venti (dumos).

Eleganter sane scriptum est hoc *poscit,* sed insolenter. Neque apud Vergilium neque apud alium poetam hunc vidi usum. Saepius autem postulandi verbum sic usurpavit Plautus.

potuit v. 286: haec eadem potuit, Ditis, te vincere, coniunx; haud aliter Vergilius.

praebebat v. 312: Ida[3]) faces altrix cupidis[4]) praebebat alumnis[5]);

item Vergilius hoc verbum posuit.

---

1) Sic recte scripserunt editores cum ΓVW; *spoliantur* exstat in FCL; cf. Leo, p. 28.

2) Sic scribendum cum VCL; quod exhibent Exc. ΓFA *possit* sensu caret.

3) *Ida* ΓV, *Et da* S, *Daque* CL.

4) *cupidis* Γ, *cupide* V, *cupidus* SCL; Ribbeck, Ellis, Vollmer *cupidis,* Leo *cupidas.*

5) *alumnis* ΓVS, *alumnus* CL.

praeferre v. 262: Persephone comites heroidas urguet adversas praeferre faces.

Quod traditum est in VSCL *perferre* hoc loco non placet, error est librarii; iure igitur receperunt editores quod exhibet *Γ praeferre.*

Notus est Vergilio hic praeferendi verbi usus.

*__praepandit__ v. 16: patula praepandit cornua fronte (Parnasia rupes).

Insolentissime positum est hoc *praepandit.* Vergilio omnino ignotum est hoc compositum, nam semper simplici usus est *pando.*

Invenitur *praepando* apud Plin. nat. 11,80 *cavernis exigua vestibula praepandunt*;

translate: Cic. Arat. 40 *hiberni praepandens temporis ortus*; Lucr. 1,144 *clara tuae possim praepandere lumina menti*; Laev. carm. frg. 6 M *alicui diem serenum praepandere.*

pressit v. 284: labentes biiuges etiam per sidera Lunae pressit equos;

similiter Verg. Aen. 1,63 et 11,600.

probet v. 59: si quis . . . probet illis omnia luxuriae pretiis; non recedit huius verbi usus a Vergiliano.

procedit v. 203: piger aurata procedit vesper ab Oeta; Vergilius eodem modo hoc verbum posuit. — Simillimus est eclogae versus 6,86 *invito processit vesper Olympo*; cf. 8,30 *deserit Hesperus Oetam*; poetarum alter compilasse videtur alterum.

prodere v. 194: prodere sit dubium;

prodidit v. 241: nectareas divum qui prodidit escas; similiter Vergilius hoc verbo usus est.

*__propulit__ v. 45: propulit e stabulis ad pabula laeta capellas pastor.

Ne hoc quidem compositum apud Vergilium legitur, cum habeat et simplex *pello* et composita *appello, compello, depello, expello, impello, repello.*

Exstat *propello* eodem sensu quo in Culice positum (i. e. de pecude) apud solutae nonnullos orationis scriptores: cf. Varro rust.

2,2 *(oves) potum propellunt* et *propellunt in pabulum*; Liv. 2,51 *secuti dedita opera passim ad illecebras propulsa pecora praecipitavere in insidias*; et saepius: cf. *pecus extra portam propellere, pecus cunctanter ab ruinis vici, pecora pastum.* Huc referri potest et illud: Phaedr. 4,18 *(canes) propulsi vero fustibus vadunt foras.* — Vergilius autem dicit simili loco Aen. 8,213 *cum iam stabulis moveret armenta.*

Praeterea *propello* invenitur apud Plaut. (cf. Rud. 672 *quin scelestus sacerdotem anum praecipes reppulit, propulit perquam indignis modis),* Lucr. (cf. 6,1026 *aer a tergo quasi provehat atque propellat*; 4,286), Hor. (sat. 1,2, 6 *frigus quo duramque famem propellere possit:* translate), Prop. (cf. 3,21, 11 *propellite in aequora navem),* Ov. saepius (cf. trist. 1,10, 33 *propulsaque (navis) fortibus austris transeat instabiles strenua Cyaneas*; met. 8,594 *inque profundum propulit e scopulo pariturae corpora natae*; 340 *sternitur incursu nemus, et propulsa fragorem silva dat*; et saepius), Sen. (cf. Herc. O. 162 *muros Oechaliae corpore propulit),* Lucan. (cf. 7,789 *cernit propulsa cruore flumina),* Val. Fl. (6,385 *ingentem propulit urbem).*

prosiluit v. 187: prosiluit furibundus;

cf. Verg. Aen. 5,140.

***prosternit** v. 69: super tenero prosternit gramine corpus;

***prostravit** v. 336: flamma Doris Ericthonias prostravit funditus arces.

Verbum quod est *prosterno* novum praebet discrimen inter Vergilium et Culicis scriptorem intercedens: caret enim hoc quoque verbo Vergilius.

Legitur prosternendi verbum post Terentium (cf. Ad. 319 *ceteros ruerem, agerem, raperem, tunderem et prosternerem*) primum apud Ovidium (cf. met. 5,197 *et prosternite humi iuvenem*; 8,776 *adductaque funibus arbor corruit et multam prostravit pondere silvam;* et saepius); praeterea adhibuerunt Lucan. (cf. 7,372 *credite grandaevum vetitumque aetate senatum arma sequi, sacros pedibus prosternere canos*), Val. Fl. (cf. 3,185 *prostravitque virum celeri per pectora telo;* 6,508 *densa strage cadit legio et latis prosternitur arvis*), Sil. (cf. 3,213 *tantoque*

fragore eruta convulsis prosternes oppida muris; 10,99 *prostraverat ictu innumero cum turre feram*), Mart. (cf. 5,42 *prosternet patrios impia flamma lares*).

Participium perf. pass. post Lucretium (cf. 5,1200 *humi prostratum*) habent Ov. (cf. trist. 1,3,43 *ante lares passis prostrata capillis*), Lucan. (4,358 *campis prostrata iacere agmina*), Petron. (frg. 30 Buecheler) *cum prostrata sopore urguet membra quies*).

quaerent v. 32: meo quaerent ... volumine famam; frequentavit hoc verbum Vergilius; cf. Aen. 9,278.

***quatiebat** v. 43: candidaque aurato quatiebat lumina curru (Sol).

Ineptissime et insolentissime scripta sunt verba *quatiebat lumina*[1]), quae tamen comprobantur Ciceronis Arateorum duobus locis: frg. 20 *tremulam quatiens e corpore flammam*; v. 285 *mediocre iacit quatiens e corpore lumen* et Ciris carminis versu 350:

postera lux ubi laeta diem mortalibus almum
et gelida venientem ignem[2]) *quatiebat ab Oeta.*

(cf. Forbiger, ed. p. 493).

Quanto aptius eadem de re scripsit Vergilius; cf. Aen. 4,584 et 9,459:

Et iam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;

et 12,113:

Postera vix summos spargebat lumine montis
orta dies.

quatit v. 202: iam quatit et biiugis oriens Erebois equos Nox; similiter Verg. Aen. 12,338 *Turnus equos quatit.*

quatit v. 219: et flammas et saeva quatit mihi verbera; saepius idem significat hoc verbum apud Vergilium.

---

1) cf. Förster l. l. p. 8; Hildebrandt l. l. p. 12.

2) Incerta est lectio, nam corruptus est locus: traditum *veniente mihi* vel *veniente mane,* quod sensum non habet. Haupt emendavit *venientem ignem,* quod placuit Ribbeckio.

Ceterum Culicis versus 218 et 219 simillimi sunt Aeneidis versibus 6,555—558, imprimis autem versibus 570—572. Poetarum alter iterum hausit ex altero.

queat v. 79: quis magis optato queat esse beatior aevo; haud aliter Vergilius.

rapiebant v. 282: silvaeque sonorae sponte sua cantus rapiebant cortice avara.

Simili modo Vergilius georgicorum in versu 3,137 hoc verbum posuit: *sed rapiat sitiens Venerem interiusque recondat.* — cf. Ov. met. 7,289 *barba comaeque canitie posita nigrum rapuere colorem*; Stat. silv. 3,5, 35 *tu procurrentia primis carmina nostra sonis totasque in murmure noctes aure rapis vigili.* (Enn. apud Cic. de orat. 3,162 *oculis postremum lumen radiatum rape,* quem versum Cicero sic illustrat: *non dixit pete, non cape — haberet enim moram sperantis diutius esse victurum —, sed rape*).

rapior v. 212: rapior per inania ventis;

hic quoque rapiendi verbi usus notus est Vergilio. (cf. Stat. Theb. 1,310 *sublimes raptim per inane volatus carpit*).

Haud aliter res se habet in verbis insequentibus:

rapit v. 54: haec suspensa rapit carpente cacumina morsu;

rapiantur[1]) v. 383: mea diffusas rapiantur dicta per auras.

***rapuit** v. 300: hunc rapuit . . . .;

Corruptus est locus, sed dicere voluisse videtur poeta puellam *rapuisse* i. e. amore cepisse Telamonem.

Hunc rapiendi verbi significatum apud Vergilium non vidi, exstat autem saepius apud Ovidium: cf. epist. 4,65 *me tua forma capit, capta parente soror*; *Theseides Theseusque duas rapuere sorores*; et saepius.

De rapiendi verbi notione in universum disseruit Birtius mus. Rhen. vol. 65, p. 345 sqq.

recessit v. 226: rure[2]) recessit iustitia et[3]) prior illa fides;

---

1) *rapiuntur Ω*, item Ribbeck; *rapiantur* Bembus, item Leo et Vollmer, mihi quoque placuit; *rapientur* Scaliger et Ellis.

2) *rure* Bembus, sic editores; *iure Ω*.

3) *iustitia et* Schrader, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *iustitiae Ω*, Ellis.

recessit[1]) v. 268: quid[2]) misera Eurydice tanto maerore recessit;

recessit v. 384: extrema tristis cum voce recessit;

item Vergilius hoc verbum adhibuit. — Ceterum versui 226 similis est georgicorum locus 2,474.

***recubare** v. 175: cum videt ingens adversum recubare ducem gregis.

Recubandi verbi usus non abhorret a Vergiliano, sed Vergilio nulla verbi forma nota est nisi part. praes. *recubans:* cf. ecl. 1,1; Aen. 3,392; (8,45); 6,418; 8,297. — Verbum ipsum praebent Tibullus (cf. 1,2,75 *quid Tyrio recubare toro sine amore secundo prodest?)* et Ovidius (cf. ars 2,342 *sub qua nunc recubas arbore, virga fuit*).

reddere v. 287: Eurydicenque ultro[3]) ducendam reddere; cf. georg. 4,486 *reddita Eurydice*;

reddidit v. 337 et 338: reddidit, heu, Graius[4]) poenas tibi, Troia, ruenti[5]), Hellespontiacis obiturus reddidit undis;

reddit v. 414: tibi ... funeris officium vitae pro munere reddit;

referat v. 304: o quis non referat talis divortia belli;

referent v. 67: nec pocula gratum[6]) Alconis referent;

referunt v. 151: querulae referunt voces:

Haec Vergiliana; aliter:

***refovebat** v. 122: dulci fessas refovebat in umbra;

***refoves** v. 213: tu lentus refoves iucunda membra quiete.

Habes iterum compositum a Vergilio alienum; Vergilius simplex modo *foveo* adhibuit.

Posuit *refoveo* teste Schoenwitzio[7]) primus Ovidius (cf. met. 8,537 *dumque manet corpus, corpus refoventque foventque*; epist. 11,58 *pressa refovisti pectora nostra tuis*; am. 2,19,15 *tepidos*

---

1) *recessit Ω,* item Leo, Ribbeck; *recesti* Barth, sic Ellis et Vollmer.

2) *quid* V, *qui Ω.*

3) *viro* Heinsius, Ribbeck, Vollmer; *ultro Ω,* item Leo et Ellis.

4) *graius* Tς, *gravius Ω.*

5) *troia ruenti* Bembus, *troia furenti* VSFCL.

6) *gratum Ω, Graium* Heinsius.

7) Gu. Schoenwitz, de *re* praepositionis usu et notione, Marpurgi a. 1912, p. 13 et 27.

refoverat ignes; met. 10,187 *et modo te refovet*); praeterea exhibent Lucan. (cf. 8,67 *adstrictos refovet complexibus artus*), Val. Fl. (cf. 5,18 *hoc nobis refove caput*), Sil. (cf. 3,637 *nec refovere datur torpentia membra quiete*), Stat. (Theb. 6,521 *dat vires refovetque deus*).

refugit v. 191: inde impiger, exanimus vix compos mente, refugit;

cf. Verg. Aen. 2,380; 12,449.

reliquit v. 131: cui Demophoon aeterna reliquit ... mala; cf. ecl. 8,91.

*__repetebant__ v. 105: ima susurrantis repetebant ad vada lymphae (capellae).

Valet *repeto* hoc loco idem, quod *redire, reverti,* quae vis apud Vergilium quoque legitur (cf. ecl. 7,39 *cum primum pasti repetent praesaepia tauri*), sed cum Vergilius repetendi verbum, ut solet, cum accusativo coniungat sine ulla praepositione, in Culice construitur cum accusativo et praepositione *ad (ad vada),* quod inusitatissimum est.

Unum tantum inveni huius constructionis exemplum apud Grattium poetam: Cyneg. v. 245 *intacto repetens prima ad vestigia gyro* (cf. Aetna 369 *ut rapiant vires repetantqae „in" proelia victi*).

repetivit v. 392: ferri capulum repetivit in usum;

exstat haec repetendi verbi significatio apud Vergilium.

requierunt v. 207: languidaque effuso requierunt membra sopore;

requievit v. 113: requievit in antro;

requievit v. 157: pastor ut ad fontem densa requievit in umbra;

cf. ecl. 7,10.

Item Vergilius *requiesco* usurpavit.

residebant v. 106: quae (vada) subter viridem residebant caerula muscum;

similiter Vergilius hoc verbum posuit.

residere v. 109: ut procul aspexit luco residere virenti (pecudes);

non deflectit huius verbi usus a Vergiliano.

respexit v. 190: tum torva tenentem lumina respexit serpentem comminus;

cf. Aen. 8,697 *a tergo respicit angues.*

***restitui** v. 224: te restitui superis leti iam limine ab ipso.

Quod ad hoc verbum attinet, discrimen habes — quamquam minus magnum — inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens. Sonat enim apud Vergilium *restituo* idem quod lingua nostra „etwas an seine frühere Stelle wieder hinstellen" (cf. georg. 2,272 *ut, quo quaeque (arbor) modo steterit, restituant*) vel „etwas in seinen vorigen Stand setzen, wiederherstellen" (cf. Aen. 6,846 *restitues rem*), in Culice autem idem est quod „jemanden jemandem (aliquem alicui: *te superis*) wiedergeben", quae notio invenitur apud Terentium: cf. Eun. 147 *(virginem) cupio abducere, ut suis restituam ac reddam*; similiter alicui aliquid: Hor. carm. 4,15,6 *signa nostro restituit Iovi*; Ov. fast. 3,68 *regnaque longaevo restituuntur avo.*

rettulit v. 290: nec rettulit intus lumina.

Similis est Aeneidis locus 12,657, ubi dicit Vergilius *referre oculos (in te oculos referunt Latini),* sed uti solet verbo quod est *respicio:* cf. ecl. 8,102; Aen. 2,564; 615; 741; 3,593; 5,3; 168; 666; 6,548; 9,389; 10,269; 666; 12,671, imprimis georg. 4,491, ubi ut in Culice de Orpheo et Eurydice agitur.

cf. Ov. met. 7,790 *lumina deflexi: revocataque rursus eodem rettuleram.*

revolvit v. 243: saxum procul adverso[1]) qui monte revolvit; non alienus est a Vergilio huius verbi usus: cf. Aen. 11,627 *saxa aestu revoluta* (cf. 6,616 *saxum ingens volvunt alii*).

rimatur v. 56: haec teneras fruticum sentes rimatur;

cf. georg. 1,384.

ruere v. 352: ac ruere[2]) in terras caeli fragor (minatur); saepius Vergilius ruendi verbum item posuit.

rumpit v. 182: spiritibus rumpit fauces;

cf. ecl. 7,26; Aen. 11,615.

---

1) *adverso* V, sic editores; *averso Ω.*

2) *ac ruere* V, item editores; *a ruere Γ, acuere* SFCL.

rupisti v. 293: rupisti iussa deorum;
haud secus Vergilius.

sedet v. 234: vinctus[1]) sedet immanis serpentibus Otos;
non aliter sedendi verbum usurpavit Vergilius.

sedit v. 201: quem postquam vidit caesum languescere, sedit;
verbum quoque quod est *sido* Vergilius item adhibuit.

signabat v. 290: praeceptum signabat iter;
eodem modo Vergilius hoc verbum scripsit.

sociarit v. 193: cui[2]) casus sociarit[3]) opem numenve deorum
prodere sit dubium;

sociat v. 301: sociat te[4]) gloria sortis;
ne sociandi quidem verbi usus deflectit a Vergiliano.

sonat v. 149: quae (unda) levibus placidum rivis sonat
orta[5]) liquorem[6]).

Traditum est: *unda sonat placidum liquorem,* quod recipiendum est.

Posuit scriptor Culicis hoc loco sonandi verbum transitive, quod Vergilius quoque fecit: cf. Aen. 1,328 *vox hominem sonat*; 9,125 *amnis rauca sonans.*

sparsa est v. 28: Giganteo sparsa est quae sanguine tellus;
cf. Aen. 11,191 *spargitur tellus lacrimis*; 8,645 *sparsi sanguine vepres*; 11,82 *sparsurus sanguine flammas.*

steterant v. 278: iam rapidi steterant amnes[7]);
simili modo Vergilius hoc verbum adhibuit; cf. ecl. 2,26 *cum staret mare.*

Ceterum verba *steterant amnes* e versu 278 falso in versum 281 venerunt: *quercus humo [steterant amnes] silvaeque sonorae*; proposuit Hertzberg *steteratque comes,* Leo *pinusque simul.*

---

1) *vinctus* Ald. 1517, *victus Ω.*

2) *qui Ω,* item Ellis, Vollmer; *cui* Scaliger, sic Leo; *quam* Ribbeck.

3) *sociarit* Bembus, sic editores; *sociaret Ω.*

4) *sociat de Ω, sociate* V, *sociat te* Itali, item Leo et Vollmer; *sociatae gloria sortis* Ribbeck, Ellis.

5) *orta Ω* Exc., sic Plésent, *acta* V, item Leo, Ribbeck, Ellis; *orsa* Vollmer.

6) *liquorem Ω* Exc., sic Ellis et Vollmer; *liquorum* C^1, Leo, Ribbeck. *orta liquore* Sudhaus.

7) *amnes* CV^2, item *Ω* in versu 281; *omnes Ω* v. 278.

subdita est v. 91: haec cura est subdita cordi;
item georg. 3,271 *avidis ubi subdita flamma medullis.*

suberat v. 148: his suberat[1]) gelidis manans e fontibus unda;
Vergilius haud aliter.

subsideret v. 165: mersus ut in limo magno subsideret[2]) aestu;
eodem modo Vergilius hoc verbo usus est.

surgebant v. 123: nam primum prona surgebant valle patentes aeriae platanus[3]);
cf. georg. 2,48.

***suspicit** v. 360: omnes Roma decus magni quos suspicit orbis.

Quod traditum *suscipit* ad sensum non satis aptum; optima esse mihi videtur Heinsii emendatio *suspicit,* quam editores quoque receperunt; *suscipit* mendum sane est librarii.

Quod ad suspiciendi verbum attinet, Culicis sermo a Vergilii magnopere recedit. Valet enim apud Vergilium *suspicio* idem quod lingua vernacula „aufwärts nach etw. sehen" (cf. ecl. 9,46 *quid antiquos signorum suspicis ortus*; Aen. 8,527 *suspiciunt*; georg. 1,376 *caelum suspiciens*; al.) vel „heimlich auf etw. sehen", i. e. „argwöhnisch betrachten, argwöhnen, beargwöhnen, Verdacht haben auf" (cf. georg. 1,443 *suspecti tibi sint imbres*; Aen. 4,97 *te suspectas habuisse domos*; al.); scriptor autem Culicis posuit figurate: significat enim apud eum *suspicio* idem quod Germanice „hochachten, verehren, bewundern", quae vis occurrit apud Ciceronem potissimum (cf. off. 2,36 *itaque eos viros suspiciunt maximisque efferunt laudibus*; orat. 97 (de eloquentia) *quam suspicerent omnes, quam admirarentur)*; praeterea exhibent Nepos (cf. Agesil. 4 *in hoc non minus eius pietas suspicienda est quam virtus bellica)* et Plinius (cf. nat. 6,85 *mirum in modum iustitiam ille suspexit).*

---

1) *suberat ς,* sane recte; quod exhibet *Ω superat* sensu caret.

2) *subsideret* recte emendavit Bembus, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *sub sideris Ω,* sic Ellis, qui post v. 165 versum excidisse coniecit.

3) *platanus Γ,* item Ribbeck, Ellis, Vollmer; *platani* VWAT, sic Leo; *platane* BC, *platanos* E.

Poetarum habere videntur Horatius (cf. epist. 1,6,18 *i nunc, argentum et marmor vetus aeraque et artes suspice)* et Ovidius (cf. epist. 16,59 *quos ego suspicio*; am. 3,8, 1 *et quisquam ingenuas etiamnunc suspicit artes).*

tendit v. 101: tendit inevectus radios Hyperionis ardor; similiter Vergilius hoc verbum scripsit: cf. Aen. 5,508 *oculos telumque tetendit*; 489 *quo tendant ferrum* (cf. Hor. carm. 1,29, 9 *sagittas tendere arcu).*

tenuisti v. 285: et tu currentis[1]) (equos), menstrua virgo, auditura lyram tenuisti nocte relicta;

tenuit v. 118: tantum non Orpheus Hebrum restantem tenuit ripis silvasque canendo, quantum te, pernix, remorantem[2]) (sc. tenuit), diva, chorea;

de hoc loco vide Leonem (p. 49); de zeugmate Baurium l. l. p. 365.

tenuit v. 126: nimia tenuit dulcedine captos;

tenendi verbi usus a Vergiliano non discrepat.

terrent v. 333: illum Scylla rapax .... Aetnaeusque Cyclops, illum ... Charybdis pallentesque lacus et squalida Tartara terrent;

item Vergilius.

***terreor** v. 239: terreor, a, tantis insistere terreor umbris.

Hic autem terrendi verbi usus a Vergiliano magnopere deflectit. Insolentissime enim coniunxit scriptor Culicis terrendi verbum cum infinitivo *(terreor insistere),* quae constructio et Vergilio ignota est et apud alios poetas perraro invenitur. Admisit eam fortasse Manilius: 5,577 *non territus ire,* nam *ire* exhibent codices deteriores, cum optimi praebeant *ira.* Exstat praeterea apud Ammianum: 27,7 *inimicos loqui terrent amplitudine potestatis.*

testata est v. 339: illa vices hominum testata est quondam copia;

non aliter Vergilius hoc verbum posuit: cf. Aen. 3,487.

---

1) sic traditum; quod voluit Leo, quem secutus est Vollmer, *cupientis* non necessarium.

2) *pernix remorantem* V, item Leo et Vollmer; *pernigre morantem* Ω; *pernix remorantur* Ribbeck, *pernice morantur* Ellis.

timet v. 82: nec tristia bella nec funesta timet validae certamina classis;

timuit v. 34: Graecia cum timuit venientis undique Persas;

timuit v. 272: nec timuit Phlegethonta nec ...;

verbum quod est *timeo* Vergilius item usurpavit.

tollebant v. 168: tollebant irae[1]) venientis ad omnia visus; similiter Vergilius tollendi verbum adhibuit.

tondebant v. 50: tondebant tenero viridantia gramina morsu (capellae);

cf. georg. 1,15 *tondent dumeta iuvenci*; Aen. 3,538 *equos in gramine vidi tondentes campum*; (georg. 1,290 *prata tondentur)*; *tondere gramen* habet Ovidius: cf. rem. 178 *aspice tondentes fertile gramen oves.*

torquebat v. 167: squamosos late torquebat motibus[2]) orbes (serpens);

cf. Aen. 12,670 *oculorum orbes torsit* (cf. 5,738 *torquet medios nox cursus)*. — *Torquere* serpentem *squamosos orbes* dicit Ovidius metamorphoseon in versu 3,41, qui versus simillimus est Culicis loco 167: *ille volubilibus squamosos nexibus orbes torquet.*

torquetur v. 180: flexibus eversis torquetur[3]) corporis orbis; cf. Aen. 12,481 *tortos orbes*; georg. 3,38 *tortos angues*; vide quae adnotavi ad verbum antecedens.

traducit v. 97: securam placido traducit[4]) pectore vitam; translate, item Vergilius: cf. georg. 3,157.

***transcendat** v. 84: spoliis dum sancta deum ... ornet templa vel[5]) evectus[6]) finem transcendat[7]) habendi.

---

1) sic Leo emendavit; traditum est autem *aurae,* quod ineptum est; *acies* suspicatur Vollmer; Ribbeck: *mollibant aurae .... nisus.*

2) *motibus* ΓC, *montibus* VFL.

3) *torquetur corporis orbis* VCL, item Leo, Ribbeck, Ellis; *torquentur corporis orbes* ΓSF, sic Vollmer.

4) *traducit* Exc. ΓVW, *traducis* CL.

5) *vel* Bembus, *nec* Ω Exc.; *vel* necessaria est emendatio,

6) de hac voce alio loco.

7) *transcendat* VW, item editores, sane recte; *transcendit* Ω Exc.

Verbum quod est *transcendo* plane ignotum Vergilio, cum habeat et simplex *scando* et composita *conscendo* et *descendo*.

Posuerunt *transcendo:*

1. transitive:

a) proprie: Prop. 1,14, 19 *metuit transcendere limen*; Lucan. 4,175 *audet transcendere vallum miles*;

b) translate: Lucr. 3,60 *avarities et honorum caeca cupido, quae miseros homines cogunt transcendere fines iuris*; Sen. Tro. 702 *aetate avum transcendat, ingenio patrem*; Thy. 912 *vota transcendi mea*; Sil. 3,607 *at tu transcendes facta tuorum*; et saepius;

2. intransitive:

Plaut. Aul. 235 *hoc magnumst periclum, me ab asinis ad boves transcendere:* proprie.

De toto loco cf. Leo, p. 43.

***transnare** v. 215: at mea manes viscera Lethaeas cogunt transnare per undas.

Huius verbi constructio abhorret a Vergiliana. Cum enim Vergilius *tranare* semper cum accusativo coniungat sine ulla praepositione (cf. georg. 3,270 *flumina tranant*; Aen. 4,245 *tranat nubila*; 6,671 *tranavimus amnes*; 10,265 *aethera tranant cum sonitu)*, is, qui carmen fecit, accusativum verbo tribuit et praepositionem *per (transnare per undas)*, quod comprobatur duobus exemplis, quae occurrunt apud Sil. Italicum: cf. 3,682 *per auras in Libyen niveis tranavit concolor alis*; 13,185 *per auras tranat harundo*.

tremescit v. 329: rursusque tremescit;
eadem ratione Vergilius hoc verbum scripsit.

***tribuere** (= tribuerunt) v. 388: quantumcumque sibi vires tribuere seniles.

Quod ad hoc verbum pertinet, novum magnum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris elocutionem intercedit. Verbum enim quod est *tribuo* omnino non exstat apud Vergilium, nam imprimis solutae orationis est proprium (adhibuerunt praecipue Nepos, Cicero, Caesar, Tacitus); tamen nonnulli usi sunt poetae, Ovidius potissimum:

proprie: Ov. met. 2,45 *me tribuente feras*; 9,402 *cum iurare pararet, dona tributuram post hunc se talia nulli*; Phaedr. 1,5 *secundam, quia sum fortis, tribuetis mihi*; Martial. 11,5 *aurum Fabricius, te tribuente, volet*;

translate: Lucr. 5,1172 *his igitur sensum tribuebant propterea quod membra movere videbantur*; Prop. 3,24, 3 *tales tribuit tibi, Cynthia, laudes*; Ov. met. 14,621 *qui, quo regnarat, eodem monte iacet positus, tribuitque vocabula monti*; trist. 3,1, 44 *quam tribuit terris*; ars 1,689 *nisi hoc matris precibus tribuisset*; et saepius; Lucan. 4,358 *quam tribuis.*

Praeterea *tribuo* legitur in Ciri carmine: v. 93 *tribuistis mihi praemia*; 270 *cui Parcae tribuere.*

tulit v. 386: nec tulit ultra sensibus infusum culicis de morte dolorem;

haud secus Vergilius.

***urguet** v. 261: Persephone comites heroidas urguet adversas praeferre[1]) faces.

Hoc verbum iterum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens exhibet. Coniunxit enim scriptor carminis urgendi verbum cum infinitivo *(urget comites praeferre faces,* i. e. „drängen, treiben etw. zu tun, antreiben"), quae constructio non solum Vergilio, qui saepius hoc verbum posuit, omnino ignota est, sed etiam apud alios scriptores perraro invenitur:

cf. Hor. carm. 2,18, 20 *marisque Bais obstrepentis urgues submovere litora*; (cf. Tert. anim. 26 *rursus urgemur etiam de ipsorum somniorum retractatu quibus anima iactetur exprimere)*; cum accusativo et infin.: Tac. ann. 11,26 *cum abrumpi dissimulationem urgebat.*

urit v. 30: urit Ericthonias Oriens non ignibus arces; eadem ratione Vergilius hoc verbum usurpavit.

***vacat** v. 263: Alcestis ab omni inviolata vacat cura.

Coniunxit scriptor Culicis *vacare* cum ablativo et praepositione *ab (ab omni vacat cura),* Vergilius autem talibus locis ablativum habet sine praepositione (cf. Aen. 3,123 *hoste vacare domum).*

---

1) *perferre* VSCL, *preferre Γ*; *perferre* hoc loco non aptum; scribendum est cum *Γ praeferre.*

Vacare a cura potius Ovidius dicit: cf. Pont. 4, 9, 71 *a rerum cura propiore vacabit*; vide praeterea fast. 2, 18 *pacando si quid ab hoste vacas*; Pont. 4, 15, 6 *a meritis eius pars mihi nulla vacat.* Phaedr. 3, 1 *vaces oportet a negotiis.*

Quae sequuntur verba discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris elocutionem non praebent:

vadit v. 205: grege compulso pastor duplicantibus umbris vadit;

valuit v. 194: valuit[1]) sed vincere;

velabant v. 47: lurida qua patulos velabant gramina colles;

velat v. 75: pollentemque sibi viridi cum palmite lucens Tmolia pampineo subter coma velat amictu;

simillime Aen. 3, 405 *purpureo velare comas . . . amictu*; 545 *capita ... Phrygio velamur amictu*; poetarum alter imitatus esse videtur alterum.

Exstant deinde in Culice nonnullae formae veniendi et videndi verbi, quae discrimen non exhibent: cf. *venisset* v. 178; *venit* v. 111; *videre* v. 305; *videt* v. 174; *vidi* (*Γ*SFCL, item Vollmer et Ellis; *vides* V, *viden* Leo, *video* Ribbeck) v. 216; *vidi* v. 227; *vidit* v. 201.

vigeant v. 372: illi laude sua vigeant;

cf. Aen. 2, 88; 4, 175.

vincere v. 194: valuit sed vincere .... volventia membra draconis;

vincere v. 286: haec eadem potuit, Ditis, te vincere, coniunx;

item Vergilius hoc verbum adhibuit.

***vincit** v. 244: contempsisse dolor quem numina vincit.

Accuratius de hoc vincendi verbi usu, qui a Vergiliano magnopere abhorret, iam Leo disseruit p. 76 sq.: Posuit scriptor Culicis simplex *vincere* pro composito *convincere* (ut Lucretius saepius stinguendi pro exstinguendi verbo utitur, semel pro distinguendi (1, 486)) coniunxitque verbum cum infinitivo. Convincendi notionem neque Vergilius praebet neque apud alium

---

1) *voluit Ω*, quod non aptum hoc loco; necessaria est Hauptii correctio *valuit*, quam receperunt editores.

vidi poetam; constructio autem interdum reperitur: cf. Plaut. Most. 95 *profecto ita esse ut praedico vera vincam*; Prop.; Hor. sat. 2, 3, 225 *vincet enim stultos ratio insanire nepotes*; Sil. 6, 142 *victus limosas extendere latius undas*; 5, 552 *nulli victus vel ponere castra vel iunxisse ratem duroque resolvere muros ariete et in turrim subitos immittere pontes*. Praeterea saepius legitur apud Ciceronem.

***vindicat** v. 276: qui vitae post mortem vindicat acta.

Huius verbi significatio recedit a Vergiliana. Cum enim apud Vergilium *vindicare* idem valeat quod lingua vernacula „befreien, retten, schützen“ (cf. catal. 5 (7), 10 *vitamque ab omni vindicavimus cura*; Aen. 4, 228 *Graiumque ideo bis vindicat armis*), scriptor Culicis puniendi vel ulciscendi notionem verbo subiecit (idem sonat quod Germanice „ahnden, bestrafen, rächen“), quae vis occurrit apud Ovidium: cf. fast. 6, 468 *quique necem Crassi vindicet, ultor erit*; trist. 3, 8, 40 *quod non offensas vindicet ense suas*; praeterea apud Senecam (Phaedr. 1187 *vindicato toro*) et apud Martialem (cf. 2, 83 *credis te satis esse vindicatum?*).

vitare v. 184: mortem vitare monet;
cf. Verg. Aen. 2, 433.

Quibus de Culicis verborum usu disputationibus peractis nunc in altera huius dissertationis parte accuratius mihi sunt scrutanda participia et adiectiva.

Caput II.

De participiis et de adiectivis.

acer v. 317: acer uterque;

item Vergilius hoc vocabulo usus est; cf. Aen. 2,414 *acerrimus Aiax.*

acerba v. 325: rursus acerba fremunt;

simillimus est Aeneidis versus 12,398 *stabat acerba fremens ingentem nixus in hastam Aeneas.* Poetarum alter ex altero hausisse videtur.

acerbas v. 210: acerbas cogor adire vices;

eodem modo Vergilius hanc vocem posuit: cf. Aen. 5,700 *casu concussus acerbo*; 11,587 *fatis urgetur acerbis.*

acrior v. 175: acrior instat;

eadem verba habes apud Vergilium: georg. 3,154 *acrior instat*; poetarum alter sumpsit ex altero.

adflans v. 155: leniter[1]) adflans aura;

idem huius verbi usus occurrit apud Vergilium.

adversas v. 262: adversas praeferre[2]) faces;

adverso[3]) v. 243: saxum ... adverso .. monte revolvit;

adversum v. 85: adversum ... caput hostibus offert;

1) *leniter* Exc. *Γ*F, sic editores; *leviter* VCL.

2) *preferre Γ*, *perferre* VSCL; *praeferre* editores; cf. p. 49.

3) *adverso* V, item editores, *averso Ω.*

adversum v. 175: adversum recubare ducem gregis; haud aliter Vergilius hoc adiectivum usurpavit.

Aegaea v. 355: Euboicas .. per cautes Aegaeaque[1] .. litora; similiter Vergilius.

aemulus v. 96: aemulus Ascraeo pastor[2] ... poetae[3]); cf. Verg. Aen. 10,371.

aequoreo v. 357: in aequoreo ... fluctu[4]);
cf. Verg. georg. 3,243; eadem verba quae scriptor Culicis habet Ovidius: met. 15,605 *fluctus aequorei.* — De versus 357 lectione in priore parte opusculi nonnulla iam dixi (p. 27).

Ne insequentium quidem verborum usus a Vergiliano discrepat:

aeriae v. 124: aeriae platanus[5]);
cf. ecl. 1,58 *aeria ab ulmo*; Aen. 3,680 et 9,679 *aeriae quercus.*

aeriis v. 139: aeriis montibus;
hoc traditum est, quod mea quidem sententia meliorem habet sensum, quam Scaligeri correctio *motibus*[6]), praesertim cum eadem verba exhibeat Vergilius, quem imitari voluisse videtur scriptor Culicis: cf. ecl. 8, 59 *aerii specula de montis*; Aen. 6, 234 *monte sub aerio*; georg. 3, 474 *aerias Alpes*; Aen. 3, 291 *aerias arces.*

aerios v. 22: aerios nemorum cultus;

aeterna v. 131: cui Demophoon aeterna reliquit ... mala; cf. Aen. 11, 583; 7, 2; 12, 879.

aetherias v. 42: aetherias in arces;

---

1) *egeaque* ΓV, *(a)ereaque* SFL, *nereaque* C; *Aegaeaque* editores, sane recte et apte dictum; cf. Leo, p. 101 sq.

2) *pastori* Ellis.

3) *poetae* Helmstad. ς, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *poeta* Ω Exc., sic Ellis.

4) *luctu* ΓVSFCL, *fluctu* V², sic editores.

5) *platanus* Γ, item Ribbeck, Ellis, Vollmer, *platani* VWAT Leo, *platan(a)e* BC, *platanos* E.

6) *montibus* Ω, item Vollmer, *motibus* Scaliger, Leo, Ribbeck.

similiter Aen. 8,68 *surgit et aetherii spectans orientia solis lumina*; eadem verba quae in Culice exstant apud Ovidium: cf. trist. 5, 3, 19 *ipse quoque aetherias meritis invectus es arces, quo non exiguo facta labore via est*; 4, 3, 5 *aetheriam arcem*; met. 15, 859 *Iuppiter arces temperat aetherias.*

aetherio v. 102: aetherio ... mundo;

debere Culicis scriptorem haec verba Lygdamo (cf. 4, 17 *iam nox „aetherium" nigris emensa quadrigis „mundum" caeruleo laverat amne rotas*) Birtius iam vidit („ad hist. hex." p. 41). — Adiectivum *aetherius* Vergilius item adhibuit: cf. Aen. 1, 547; georg. 2, 292; Aen. 6, 762; 7, 557.

Aetnaeus v. 332: Aetnaeusque Cyclops;

hoc loco iterum poetarum alter transcripsit alterum, nam *Aetnaeus Cyclops* etiam apud Vergilium redit: cf. Aen. 8, 440 *Aetnaei Cyclopes* et 11, 263 *Aetnaeos Cyclopas*; 3, 678 *Aetnaeos fratres.*

agrestes v. 88: agrestes herbae[1]);

non diversus est huius vocabuli usus a Vergiliano.

ambustis v. 314: classibus ambustis;

ambustus[2]) v. 128: ambustus Phaethon[3]);

non aliter Vergilius: Aen. 12, 298 et 301.

anxia v. 250: anxia sollicitis meditantem vulnera natis;

anxia vulnera, h. e. quae angorem efficiunt: similiter Verg. Aen. 9, 89 *nunc sollicitam timor anxius angit.*

***anxia** v. 349: omnia turbinibus sunt anxia;

***anxia** v. 353: miseris circumdatur anxia fatis;

***anxius** v. 159: anxius insidiis nullis;

***anxius** v. 237: tuae[4]) memor anxius irae[4]) iacet.

Hic autem vocis quae est *anxius* usus a Vergiliano magnopere deflectit. Cum enim Vergilius vim angorem efficiendi verbo tribuat (cf. Aen. 9, 89 *sollicitam timor anxius angit,* i. e.

---

1) *herb(a)e* VW, sic editores, *herbis Ω.*

2) *ambustus* Helmstad. ς, quod receperunt editores, *ambustos (-sto Γ) Ω.*

3) *pheton Γ*V, *phoeton* CL.

4) *tu(a)e ir(a)e* V, item Leo, Ellis, Vollmer; *tuas iras Ω,* Ribbeck.

„Angst erweckend, hervorrufend, ängstigend, peinigend“: active), in Culice *anxius* idem valet quod *angore, cura affectus* („ängstlich, angstvoll, unruhig, besorgt, bekümmert“: passive): in versu 237 absolute positum, in versibus 159, 349, 353 cum ablativo coniunctum.

Quam praebet scriptor Culicis vocabuli notionem posuerunt:

absolute: primus Lucretius (6, 14 *anxia corda*); praeterea habent Catull. (64, 379 *anxia nec mater discordis maesta puellae secubitu caros mittet sperare nepotes*; 203; 68, 8), Tib. (1, 3, 16 *quaerebam tardas anxius usque moras*; 1, 2, 24), Prop. (2, 22, 42 *tutius et geminos anxia mater alit),* Hor. (carm. 3, 21, 17 *spem reducis mentibus anxiis),* Ov. (am. 3, 15, 10 *cum timuit socias anxia Roma manus*; 3, 6, 53; epist. 19, 130 *anxius huc illuc dissimulanter eo*; ars 3, 727; met. 2, 806; 11, 471; 15, 779), Sen. (Phaedr. 438 *anxiam me cura sollicitat tui*; Thy. 604), Lucan. (8,590 *prima pendet tamen anxia puppe),* Val. Fl. (1, 401; 684 *agrestum manus anxia),* Sil. (15, 7 *anxia turba patrum),* Stat. (Theb. 3, 376 *domus*; silv. 1, 2, 81), Mart. (6, 1, 4 *audebit minus anxius),* Iuv. (10, 80 *duas tantum res anxius optat populus, panem et circenses)*;

cum ablativo: primus Propertius (1, 15, 17 *anxia ventis)*; deinde exhibent Ov. (met. 9,275 *longis anxia curis*; epist. 16, 214 *et non exemplis anxius esse tuis*; met. 11, 411 *anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx*; 7, 725), Lucan. (7,20 *anxia venturis),* Sil. (10, 108 *anxia nido aquila).*

apricas v. 98: apricas pastor agit curas;

nota loquendi figura poetis (cf. Verg. ecl. 9, 58 *ventosi ceciderunt murmuris aurae*; Plésent, ed. p. 123), sed in hoc vocabulo nova. cf. Verg. Aen. 5, 128 *apricis mergis*; Pers. 5, 179 *aprici senes*; Cic. Cato 57 *ubi enim potest illa aetas aut calescere vel apricatione melius vel igni aut vicissim umbris aquisve refrigerari salubrius?* — cf. Leo, p. 46.

apta v. 36: carmina .. viribus apta suis;

adiectivum, item Verg. georg. 2, 234 *rarum pecorique et vitibus almis aptius uber erit.*

*__arenti__ v. 242: gutturis arenti ... sensu (de Tantalo).

Utitur Vergilius hoc verbo de terra (georg. 2, 377; ecl. 7,57; georg. 1, 110), de liquidis et madentibus (Aen. 3,350; georg. 3, 555), de herbis (georg. 4, 268; 427; Aen. 3, 142; 12, 522; ecl. 10, 67), semel de aegrotante (georg. 3, 501), scriptor autem Culicis de sitiente (de Tantalo), quod fecit Ovidius potissimum, qui artis amatoriae in versu 2, 606 *(garrulus in media Tantalus aret aqua)* et amorum in versu 3, 7, 51 *(sic aret mediis taciti vulgator*, i. e. Tantalus, *in undis)* item de Tantalo hanc vocem posuit.

Legitur *areo* de sitiente scriptum primum apud Tibullum (1, 4, 42 *quamvis canis arenti torreat arva siti),* praeterea apud Prop. (2, 17, 6 *ut liquor arenti fallat ab ore sitim),* Hor. (epod. 14, 4 *pocula .. si ... arente fauce traxerim),* Ov. (epist. 4, 174 *arentem quae levet unda sitim* (cf. Sen. Thy. 4); met. 14, 277 *quae (pocula) simul arenti sitientes hausimus ore),* Sen. (Phaedr. 3, 16, 15 *cicada arebat (ardebat* al.*) siti),* Val. Fl. (4, 277 *ille dies ... primus ... arenti cunctantem vidit hiatu Amycum).*

Argolicis v. 303: a navibus Argolicis;

saepius Vergilius hoc adiectivum adhibuit. — cf. Ov. met. 13, 659 *Argolicam classem*; trist. 1, 1, 83 *Argolica de classe.*

argutis v. 153: argutis ardore cicadis;

cf. Verg. georg. 1, 377 *arguta hirundo*; ecl. 9, 36 *argutos inter olores.* Mart. 11, 18, 5 *argutae cicadae.*

arripiens v. 177: obvia arripiens infringere;

non discrepat huius participii usus a Vergiliano.

Ascraeo v. 96: Ascraeo poetae[1]);

cf. Verg. ecl. 6, 70 *Ascraeo seni*; georg. 2, 176 *Ascraeumque carmen.*

assiduae v. 398: assiduae curae memor;

item Vergilius hanc vocem usurpavit.

Assyrio v. 62: Assyrio colore;

simillimus est georgicorum locus 2, 465 *alba neque Assyrio fucatur lana veneno*; poetarum alter iterum compilavit alterum.

***Attalicis** v. 63: Attalicis opibus data vellera.

---

1) *poetae* Helmstad. ς, item Leo, Ribbeck, Vollmer, *poeta* Ω Exc., Ellis.

Ignotum est hoc adiectivum Vergilio. Scripserunt Propertius et Horatius: cf. Prop. 2, 32, 12 *aulaeis Attalicis* (Sil. 14, 659); 2, 13, 22 *Attalico toro* (4, 5, 24 *Attalicis toris)*; 3, 18, 19 *Attalicas vestes*; Hor. carm. 1, 1, 11 *gaudentem patrios findere sarculo agros Attalicis condicionibus nunquam dimoveas*; epist. 1, 11, 5 *urbibus.*

aurata v. 203: aurata[1]) ab Oeta;

aurato v. 43: aurato curru;

haud aliter Vergilius hoc vocabulum posuit; cf. Aen. 12, 163.

aurea v. 11: aurea proles;

frequentavit hanc vocem Vergilius: similiter georg. 1, 431 *aurea Phoebe*; ecl. 4, 9 *gens aurea.*

***aureolos** v. 144: pinguntque aureolos viridi pallore corymbos.

Quod ad hoc vocabulum pertinet, magnum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedit. Caret enim hoc adiectivo Vergilius. Invenitur eodem sensu (i. e. aureum colorem habens) quo in Culice scriptum apud Varronem: rust. 3, 9, 5 *gallos collo vario aut aureolo.* Primus usus est Plautus, praeterea exhibent Lucilius, Catullus, Martialis:

aureus vel auratus: Plaut. Epid. 640 *auream ... lunulam atque anellum aureolum in digitum;* Lucil. 253 *aureolo cinctu rorariu veles;* Catull. 2, 12 *aureolum fuisse malum;*

translate, i. q. pulcher, egregius: Catull. 61, 163 *transfer (nova nupta) omine cum bono limen aureolos pedes;*

subst.: aureolus (sc. nummus): Mart. 5, 19, 14 *qui aureolos crepet* (12, 36, 3 *manu);* 9, 4, 1 et 3; 10, 75, 8; 11, 27, 12 *centum aureolos sic velut aera roget.*

***aversatus** v. 256: iamque aversatus uterque.

De hoc verbo, quod iterum alienum est a Vergilio, accuratius iam egi in priore capite sub voce *aversatur* (p. 11 sq.). Adhibuit Ovidius potissimum.

aversos v. 327: aversos vultus;

cf. Verg. Aen. 6, 469 *oculos aversa tenebat.*

---

1) *aurata Ω, aurato* V.

avia v. 403: avia cura [1];
cf. Verg. Aen. 7, 580; georg. 2, 328.

bacchata v. 113: gelidis bacchata iugis;
cf. Verg. Aen. 10, 41 *bacchata per urbes (Allecto)*; (trans., pass. Aen. 3, 125 *bacchatamque iugis Naxum*; georg. 2, 487 *virginibus bacchata Lacaenis Taygeta*); 6, 78 *in antro bacchatur vates.*

biiugis v. 202: biiugis equos;
biiugis v. 283: biiugis equos;
eadem verba habes Verg. georg. 3, 91 *equi biiuges* et Aen. 12, 355 *equos biiugis.*

***Bistonius** v. 252: Bistonius rex (Tereus).

Omisit hoc quoque adiectivum Vergilius.

Scripsit primus Lucretius (5, 31 *Bistoniasque plagas*); deinde praebent: Prop. (2, 30, 36 *Oeagri quaedam (Musa) compressa figura Bistoniis olim rupibus accubuit*), Ov. (Ib. 377 *ut qui Bistoniae templo cecidere Minervae*), Sen. (Herc. f. 226 *gregis*; Herc. O. 1894 *matres*), Lucan. (2, 163 *tyranni*; 3, 200 *aves*), Sil. (11, 473 *Bistonius vates* (Orpheus); 1, 433), Stat. (similiter silv. 2, 4, 21 *quae Bistonio queritur soror orba cubili* (Procne); Theb. 2, 587 *trahit ocius ensem Bistonium Tydeus).*

i. q. Thracius: Ov. met. 13, 430 *tellus Bistoniis habitata viris*; epist. 2, 90 *aqua*; Pont. 1, 2, 112 *equi*; 1, 3, 59; 4, 5, 35 *ensem*; trist. 1, 10, 23 *campos*; 1, 10, 48; 4, 767 *turbine*; 7, 826 *lupi*; Stat. Theb. 6, 665 *Bistoniis clipeus Mavortis in arvis luce mala Pangaea ferit*; 7, 7; 11, 194; Claud. 7, 111 *Bistoniis ... ab oris*; 8, 54 *campos.*

blanda v. 279: blanda voce;
cf. Verg. Aen. 1, 670 *blandis vocibus.*

***Cadmeo** v. 254: Cadmeo [2] semine fratres.

Habes iterum adiectivum Vergilio ignotum.
Vidi primum apud Propertium (1, 7, 1 *dum tibi Cadmeae dicuntur, Pontice, Thebae*; 3, 13, 7 *Tyros ostrinos praebet Cadmea colores)*, praeterea apud Lygd. (6, 24 *Cadmeae matris praeda cruenta)*, Sen. (Oed. 751 *Cadmei nepotis*; 175 *bis Cadmeum nive discussa*

---

1) *cura Ω, turba* Heinsius, *tura* Leo.
2) *Cadmeo ΓV, Cat(h)meo* SCL.

tremuisse nemus; Phoen. 392 *progenies*; Oed. 29 *genti*; Herc. f. 268 *proles*; et saepius), Lucan. (3, 175 *Dirce)*, Val. Fl. (6, 437 *hydri)*, Sil. (14, 579), Stat. (Theb. 1, 123 *culmine*; 4, 57 *larem*; 8, 600 *iuventus)*, Mart. (6, 11, 7 *Tyros)*.

caelesti v. 347: caelesti fato;
cf. Verg. Aen. 6, 730; 379.

caerula v. 106: quae (vada) residebant caerula;
item Verg. Aen. 7, 198 *per vada caerula vexit*; cf. 10, 209 *caerula freta*.

candida v. 43: candidaque lumina;
candida v. 130: candida velamina;
Vergilius non aliter hoc vocabulo usus est.

canora v. 99: arte canora;
cf. Verg. Aen. 7, 700 *canoros modos*; georg. 4, 150 *canoros sonitus*.

carpens v. 166: obvia vibranti carpens;
cf. Stat. Theb. 4, 798 *obvia carpit* (Leo, Gött. Gel. Anz. a. 1911, p. 135).

carpens v. 231: avia carpens;
cf. Verg. georg. 3, 142 *carpere prata fuga*; 325 *rura carpamus*; 347 *viam carpit*; Aen. 6, 629 *carpe viam*.

carpente v. 54: carpente morsu;
frequentavit hoc verbum Vergilius.

***Centaureos** v. 29: nec Centaureos Lapithas compellit in enses.

Vergilius cum habeat nomen proprium *Centaurus* (Aen. 7, 675; georg. 2, 456), adiectivum *Centaureus* non admisit.

Occurrit primum apud Horatium (carm. 1, 18, 8 *ne quis modici transiliat munera Liberi, Centaurea monet cum Lapithis rixa)*, deinde apud Statium (Theb. 4, 838 *te nec Apollineus Ladon . . . Centaureusque Lycormas praestiterint)*; de sidere utitur Avienus (Arat. 983 *Centaureae fera molis terga)*.

***Chimaereo** v. 14: Arna[1]) Chimaereo Xanthi perfusa liquore.

Chimaerae nomen notum est Virgilio (cf. Aen. 6, 288; 7, 785), adiectivum autem *Chimaereus* ignotum.

---

1) *Arna* Haupt, quod receperunt editores, *Alma Ω*.

Exstat in carmine incerti auctoris ap. Claud. (carm. min. app. II, 76 *leonem (Nemeaeum) . . . Chimaeraea cretum de gente).*

***Cilici** v. 401: Cilici crocus editus arvo.

Frustra quaeres hoc vocabulum apud Vergilium. Legi post Lucretium (2, 416 *cum scaena croco Cilici perfusa recens est:* similiter) primum apud Ovidium (met. 2, 217 *ardet Athos Taurusque Cilix);* praeterea exhibent Lucan. (2, 636 *sparsos per rura colonos redde mari Cilicas),* Sil. (13, 882), Mart. (7, 95, 13 *barba, qualem forficibus metit supinis tonsor Cinyphio Cilix marito),* Avien. (Arat. 1252 *exortum Cilici⟨s⟩ capricorni).*

***Cimmerios** v. 232: avia Cimmerios[1]) inter distantia lucos.

Vergilius quamquam Aeneidis in libro sexto accuratam nobis praebet orci descriptionem, tamen vocem quae est *Cimmerius* nusquam adhibet.

Admisit eam primus Ovidius (cf. Pont. 4, 10, 1 *haec mihi Cimmerio bis tertia ducitur aestas litore;* nomen pr. met. 11, 592); invenitur praeterea apud Lygd. (5, 24 *Lethaeamque ratem Cimmeriosque lacus),* Val. Fl. (6, 61 *Anchus Cimmerias ostentat opes),* Sil. (12, 132 *at iuxta caligantes longumque per aevum infernis pressas nebulis pallente sub umbra Cimmerias iacuisse domos noctemque profundam Tartareae narrant urbis),* Stat. (silv. 3, 2, 92 *non vel ad ignotos ibam . . . Indos Cimmeriumque chaos ?).*

***Colchida** v. 249: vaecordem[2]) Colchida[3]) matrem.

Adiectivo quod est *Colchis* non usus est Vergilius. Posuerunt Manil. (5, 34 *Colchidis et magicas artes qui vertere Iolcon Medeam iussit),* Sen. (Phaedr. 697 *Colchide noverca),* Val. Fl. (5, 417 *cunabula gentis Colchidos hic ortusque tuens;* 8, 142 *matresque nurusque Colchides),* Stat. (Theb. 9, 611).

Substantivum *Colchis* habent Hor. (epod. 16, 58), Prop. (2, 1, 54; 34, 8; 3, 11, 9), Ov. (am. 2, 14, 29; met. 7, 296; 301; 331; 348; et saepius), Manil., Germ., Sen., Lucan., Val. Fl., Stat., Mart., Juv.

---

1) *cim merios Γ, cumerios* V, *cum meritos* S, *cum inmerios* C, *cum merios* L.

2) *vecordem* Vς, *tu cordam Ω.*

3) *colchida* V Helmstad. ς, *conduda Γ, conchida* SCL.

comminus adv. v. 190: respexit serpentem comminus; cf. Verg. Aen. 7, 732.

compacta v. 100: compacta harundine; item Verg. ecl. 2, 36 *compacta fistula.*

***compos** v. 191: vix compos mente refugit.

Vox quae est *compos* a Vergilio omnino aliena. Legitur apud solutae potissimum orationis scriptores, tamen nonnulli adhibuerunt poetae, in his primus App. Claudius: App. Claudius, Plautus, Ennius, Terentius, Accius, Tibullus, Horatius, Ovidius, Seneca, Sil. Italicus:

Strictiore sensu, i. q. potens, possidens, pollens:

c. genet.: App. Claud. carm. frg. 1 *compos animi;* Plaut. Truc. 835 *culpae;* Enn. scaen. 143 *consili;* Ter. Ad. 310 *vix compos sum animi;* Ov. met. 8, 35 *vix sanae ... compos mentis erat:* simillime; c. abl., ut in Culice: Cic. de orat. 1, 210 *animo; scientia;* absolute: Sil. 4, 806 *trepidare metu vix compos Imilce;*

latiore sensu, i. q. particeps, qui rem adeptus est vel effecit:

c. genet.: Plaut. Amph. 642 *laudis;* Capt. 41 *libertatis;* 622 *patriae;* Hor. ars 76 *voti sententia compos;* (Tib. 1, 10, 23 *aliquis voti compos);* Ov. ars 1, 486 *et voti postmodo compos eris;* Sil. 17, 540 *alti ... voti;* 8, 72 *Aeneas ... iam regni compos,* c. abl.: Acc. trag. 36 *magnis ... et multis malis.* Passive utitur Seneca: Ag. 378 *tibi ... senes compote voto reddunt grates.*

compta v. 218: serpentibus undique compta (Tisiphone); similiter Vergilius hoc verbum posuit. — cf. Ov. met. 4, 454 *deque suis atros pectebant crinibus angues.*

compulso v. 204: grege compulso; cf. Verg. ecl. 2, 30 *gregem viridi compellere hibisco;* 7, 2 *compulerant greges in unum.*

***conchea** v. 68: nec Indi conchea baca maris pretio est.

Hoc vocabulum et Vergilio et aliis scriptoribus ignotum est; videtur esse *ἅπαξ εἰρημένον.*

Conchatus i. e. in modum conchae curvatus habes Plin. nat. 10, 43 et 11, 270.

confixa v. 267: telis confixa;

eadem verba exhibet Vergilius: Aen. 9, 543 *confixique suis telis;* 765 *confixa parma;* 3, 45 *confixum texit telorum seges.*

congestum v. 395: congestum cumulavit opus; similiter Verg. ecl. 1, 68 *congestum caespite culmen (caespite* Cul. 393); cf. georg. 2, 156 *congesta manu oppida;* 3, 377 *congesta robora;* Aen. 6, 224 *congesta dona.*

***conscelerata** v. 375: conscelerata pia discernis vincula sede.

Vergilius cum simplicia *scelerare* (Aen. 3, 42) et *sceleratus* (Aen. 2, 576; et saepius) usurpet, composita *conscelerare* et *consceleratus* non admittit.

Sed *consceleratus* apud nullum reperitur poetam, prosae tantum orationis scriptoribus notum, Ciceroni potissimum:

de hominibus:

Cic. S. Rosc. 67 *poenas a consceleratissimis filiis repetant (Furiae);* Verr. 2, 90 *(Verrem) piratam ipsum consceleratum fuisse;* Cluent. 193 *matris;* Phil. 13, 1 *impiis civibus consceleratisque;* et saepius;

de rebus, ut in Culice:

Cic. Verr. 2, 37 *proditio;* Cluent. 29 *nefarium et consceleratum voltum;* Catil. 2, 19 *mente conscelerata ac nefaria;* 3, 16 *consceleratissimi periculosissimi belli;* dom. 76 *conscelerata illa vis,* Cael. 14 *consceleratus impetus;* Liv. 8, 18, 11 *captisque magis mentibus quam consceleratis;*

substantivi vice:

Cic. dom. 6 *consceleratorum ac perditorum manu;* Pis. 46 *has esse in impios et consceleratos poenas;* Liv. 2, 37, 9 *consceleratos contaminatosque . . . abactos esse;* Tac. ann. 15, 55 *incusat ultro intestabilem et consceleratum.*

Verbum autem quod est *conscelerare* exhibent poetarum Catullus (67, 24 *dicitur et miseram conscelerasse domum)* et Ovidius (met. 7, 35 *cur non et specto pereuntem, oculosque videndo conscelero?).*

conspecta v. 266: femineum conspecta decus.

Birtii[1]) emendatio *conspecta,* quam receperunt Leo et Plésent, mea quidem sententia necessaria est; traditur *concepta,* quod sensui non aptum. — cf. Verg. georg. 3, 17; Aen. 8, 588.

---

1) „De Hal. Ov." p. 50.

crebris v. 196: crebris ictibus ossa ferit;
cf. Verg. Aen. 12, 713 *crebros ictus;* georg. 3, 500 *terram crebra ferit;* Aen. 12,533 *crebro pulsu.*

crudelis v. 292: sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu;
cf. Verg. ecl. 8, 47 sqq.: *Saevos Amor docuit natorum sanguine matrem commaculare manus, crudelis! tu quoque, mater, crudelis mater, magis an puer improbus ille. improbus ille puer; crudelis tu quoque, mater;* georg. 4,495 *quis et me, inquit, miseram et te perdidit, Orpheu, quis tantus furor? en iterum crudelia retro fata vocant:* imitari voluisse Culicis scriptorem hoc loco Vergilium Baurius iam vidit.

cruenta v. 112: caede cruenta (Agaue);
cf. Verg. Aen. 1, 471 *Tydides multa caede cruentus.*

cruenta v. 274: nocte cruenta;
similiter Vergilius.

***Cupidineo** v. 409: igne Cupidineo proprios exarsit in artus.

Nomen proprium *Cupido* praebet Vergilius (Aen. 1, 658; 695; 10, 93), adiectivo autem *Cupidineus* caret.

Inveni adiectivum primum apud Ovidium (cf. trist. 4, 10, 65 *molle Cupidineis nec inexpugnabile telis cor mihi;* rem. 157 *vince Cupidineas pariter Parthasque sagittas),* praeterea apud Martialem (translate de valde formoso: 7, 87, 9 *blanda Cupidinei cur non amet ora Labycae?),* Claudianum (carm. 10, 71 *Cupidineas sagittas),* Dracontium (Med. 148 *ignes Cupidineos:* ut in Culice).

cupidis v. 312: cupidis[1]) alumnis[2]);
cf. Verg. Aen. 8, 165.

currentis v. 284: currentis[3]) (equos) tenuisti;
sic traditum. — Haud secus Vergilius scripsit hoc verbum.

***data** v. 63: Attalicis opibus data vellera.

De hoc verbo plura iam dixit Leo p. 39 et 76 sq. Audacissime posuit scriptor Culicis *data* pro *venum data, ἀποδοθέντα,* quod exemplo comprobare nequeo. Conferatur v. 244 et 391, ubi pro compositis *convincit* et *incipit* utitur simplicibus *vincit* et *capit.*

---

1) *cupidis Γ,* item Ribbeck, Ellis, Vollmer; *cupide* V, *cupidus* SCL, *cupidas* Leo.

2) *alumnis Γ*VS, sic editores; *alumnus* CL.

3) *currentis* vel *-es Ω,* sic Ribbeck et Ellis, *cupientis* Leo, item Vollmer; *torrentis ς.*

debita v. 40: debita vita;
cf. Verg. georg. 1,223; Aen. 2,538; 11,63.

defossas v. 274: defossasque[1]) domos;
similiter Verg. georg. 3,376 *in defossis specubus.* cf. georg. 4,467 et 481.

degentem v. 73: otia degentem;
cf. Verg. Aen. 4,551 *vitam degere.*

delatus v. 210: ad quae[2]) delatus[3]);

delatus v. 260: delatus ad undam;
non alienus est huius vocabuli usus a Vergilio.

densa v. 53: densaque labrusca;

densa v. 157: densa in umbra;

densas v. 108: densas in umbras;
cf. Verg. georg. 1,342 *densaeque umbrae.*

densas v. 248: densas turmas;
cf. Aen. 5,833 *densum agmen.*

desertas v. 51: desertas rupes;
cf. Aen. 2,28; 11,514; georg. 3,291.

***devinctum** v. 235: devinctum[4]) aspiciens Ephialten.

Huius verbi usus a Vergiliano magnopere discrepat. Cum enim Vergilius, ut solet, vim translatam devinciendi verbo tribuerit (cf. Aen. 8, 394 *tum pater aeterno fatur devinctus amore),* in Culice proprio sensu scriptum est *(devinctum Ephialten).* Vinciendi autem verbum Vergilius similiter posuit atque scriptor Culicis, i. e. propria notione: cf. Aen. 1,295 *centum vinctus aënis post tergum nodis;* 11,81 *vinxerat post terga manus.*

Qui exstat in Culice devinciendi vocis significatus primum occurrit apud Plautum (Men. 845 *devincire servum domi;* Pseud. 200 *Dircam olim duo gnati Iovis devinxere ad taurum),* legi praeterea apud Tibullum (2,5,5 *devinctus tempora lauro)* et apud Sil. Italicum (11,117 *devinctum colla catenis).*

---

1) *Nec fossasque Ω,* sic Vollmer, *defossasque* VWB², item Leo et Ribbeck, *ecfossasque* Ellis.

2) *ad que* VW, *ad quem I, atque* FCL.

3) *delatus Ω, dilatus* CBE.

4) *devinctum* Ald. 1517, item editores; *devinctus Ω.*

devota v. 368: devota corpora;
devota v. 370: devota moenia;
devotum v. 364: quem quondam devotum;
cf. Verg. Aen. 12, 234; 11, 442; 1, 712.

diducta v. 185: diducta lumina;
cf. georg. 2, 354.

diffundens v. 176: lumina diffundens intendere;
diffusas v. 383: diffusas per auras;
Vergilius item hoc verbum usurpavit.

dira v. 200: dira formidine,
diris v. 220: diris latratibus;
saepius Vergilius hanc vocem similiter adhibuit.

***discordantes** v. 254: discordantes Cadmeo semine fratres.

Hoc verbum iterum omisit Vergilius.

Primum reperitur apud Plautum (Merc. 231 *neu discordarent, si ambae in uno essent loco:* absolute) et Terentium (Andr. 575 *qui scis eos nunc discordare inter se?:* cum accusativo *se* et praepositione *inter);* habent praeterea Horatius (epist. 2, 1, 185 *et depugnare parati si discordet eques:* absolute; epist. 2, 2, 194 *scire volam, quantum simplex hilarisque nepoti discrepet et quantum discordet parcus avaro:* translate, i. q. differre, distare, dissimilem esse, c. dativo) et Sil. Italicus (16, 20 *barbarico tot discordantia ritu corda).*

***dissitus** v. 188: cui dissitus omnis spiritus excessit sensus.

Quod ad hoc vocabulum attinet, magnum iterum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris dicendi genus intercedit. Caret enim hac quoque voce Vergilius.

Dissitus propria notione ad animam pertinere et hunc in usum formasse vocabulum Lucretium Leo iam monuit: cf. Lucr. 3, 143 sq. *cetera pars animae per totum dissita corpus paret;* 3, 377 *elementa animae rara per artus dissita sunt;* 4, 887 *in corpore toto, per membra atque artus, animai dissita vis est.*

Accuratius de toto loco disseruit Leo p. 66 sq.

distantia v. 232: avia distantia;

distantia v. 259: distantia numina[1]); cf. Verg. Aen. 3, 116. — Ov. met. 11, 715 *spatio distante.*

***distincta** v. 71: distincta coloribus arva.

Verbum quoque quod est *distinguo* frustra quaeres apud Vergilium.

Adhibuit primus Horatius, praebent deinde Ovidius, Seneca, Lucanus, Sil. Italicus, Iuvenalis:

i. q. secernere, separare:
proprie: Ov. met. 1, 47 *sic onus inclusum numero distinxit eodem cura dei;* Sen. Tro. 885 *deprime horrentes comas crinemque docta patere distingui manu;* Iuv. 14, 289 *qui navem mercibus implet ad summum latus et tabula distinguitur unda;*
translate: Hor. epist. 1, 10, 29 *vero distinguere falsum;* Lucan. 5, 399 *in fastos distinguit saecula consul;* Sil. 1, 78 *primam lingua vocem distinguere;* Iuv. 1, 127 *ipse dies pulchro distinguitur ordine rerum;*

i. q. notis aut punctis aut coloribus rem variare atque ornare:
proprie: Hor. carm. 2, 5, 11 *iam tibi lividos distinguet autumnus racemos purpureo varius colore;* Sen. Med. 574 *gemmarum nitor distinguit aurum;* Herc. O. 665 *Maeonia distinguit acu;*
translate: Sil. 3, 27 *vestem distinguere clavo;* 11, 429 *distinguere epulas ludo;* (cf. 7, 182);

distinctus: exhibet primus Ovidius (cf. met. 5, 266 *innumeris distinctas floribus herbas:* similiter, ut in Culice; epist. 5, 19 *retia maculis distincta;* met. 6,86 *(certamina) brevibus distincta sigillis;* 3, 221 *nigram medio frontem distinctus ab albo);* praeterea habes Sil. 2, 602 *vestes distinctas auro.*

***ditata** v. 343: ditataque praeda arcis Ericthoniae (vis Argea).

Hoc vocabulum iterum a Vergilio omnino alienum. Legitur primum apud Lucretium, exhibent praeterea Horatius, Ovidius, Val. Flaccus:

Proprie: Hor. epist. 1, 6, 6 *quid censes munera terrae, quid maris extremos Arabas ditantis et Indos?;* epod. 1, 32 *satis superque me benignitas tua ditavit;* Ov. Pont. 2, 7, 62 *ditata est spoliis perfida turba meis:* similiter; Val. Fl. 6, 145 *mellis honos Torynis, ditant sua mulctra Satarchen;*

---

1) *nomina Ω*, sic Ribbeck, Ellis, Vollmer, *numina* CBE, Leo.

translate: Lucr. 2, 627 *aere atque argento sternunt iter omne viarum, largifica stipe ditantes;* Hor. ars 57 *cum lingua Catonis et Enni sermonem patrium ditaverit et nova rerum nomina protulerit.*

diversa v. 259: auferor in diversa magis;

cf. Verg. Aen. 7, 132 *diversa petamus;* 9, 1 *diversa parte;* 1, 376 *diversa per aequora;* 3, 325; 12, 742.

divite v. 95: divite cultu;

inveniuntur eadem verba apud Ovidium, unde prompsisse sibi videtur scriptor Culicis: cf. met. 5, 49 *quam divite cultu augebat;* epist. 15, 189 *tu cultu divite digna.*

***Doris** v. 336: flamma .. Doris Ericthonias prostravit arces.

Adiectivum quod est *Doris* ignotum Vergilio, cum *Doricus* adhibuerit (Aen. 2, 27 *Dorica castra;* 6, 88).

Scripserunt *Doris* Seneca (Herc. f. 81 *Doris tellus)* et Lucanus (9, 36 *Dorida tunc Malean et apertam Taenaron umbris).* cf. Suet. Tib. 56 *Doris dialectos.*

Dorius habet Horatius epod. 9, 6.

ducendam v. 287: Eurydicen ducendam reddere;

cf. Verg. Aen. 7, 359 *datur ducenda Lavinia Teucris.*

dulcem v. 161: dulcem quietem;

dulcis v. 89: dulcis requies;

cf. Verg. Aen. 6, 522 *dulcis quies;* 4, 185 *dulci somno;* georg. 1, 342 *somni dulces.*

dulci v. 122: dulci in umbra;

item Aen. 1, 694 *dulci umbra.*

***duplicantibus** v. 204: duplicantibus umbris.

Quamquam tam similis est hic Culicis locus eclogarum versui 2, 67 *(et sol crescentis decedens duplicat umbras),* ut poetarum alterum transscripsisse alterum mihi persuasum sit, tamen huius verbi qui exstat in Culice usus magnopere differt a Vergiliano. Cum enim Vergilius, ut solet, duplicandi verbum semper transitive posuerit (cf. ecl. 2, 67; Aen. 11, 645; 8, 556; 12, 927), in Culice insolentissime scriptum est intransitive *(duplicantibus umbris),* quod nullo comprobatur exemplo.

edita v. 137: navi edita[1]) pinus;

edita v. 172: (cui) crista superne edita;

editus v. 401: Cilici crocus editus arvo;

participium quod est *editus* Vergilius quoque praebet; cf. georg. 2, 188.

effuso v. 207: effuso sopore;

item Vergilius persaepe.

Elysiam v. 260: Elysiam undam;

cf. Verg. Aen. 6, 542 *iter Elysium;* georg. 1, 38 *Elysios campos.* — Stat. silv. 5, 3, 2 *Elysio de fonte;* Theb. 3, 247 *Elysios fontes.*

***Erebois** v. 202: iam quatit et biiugis oriens Erebois[2]) equos Nox.

Erebi nomine saepius utitur Vergilius (cf. Aen. 4, 510), adiectivo autem *Erebeis* vel *Erebois* caret. Atque exemplum invenire non possum, videtur esse *ἅπαξ εἰρημένον.* [In lexicis hic Culicis locus affertur sub voce *Erebeus,* quam finxit Ovidius: cf. Ib. 225 *pectoraque unxerunt Erebeae felle colubrae*].

ereptus v. 214: ereptus taetris e cladibus;

similiter Vergilius hoc vocabulum usurpavit.

***Ericthonias** v. 30: urit Ericthonias Oriens non ignibus arces;

***Ericthonias** v. 336: flamma Doris Ericthonias prostravit ... arces;

***Ericthoniae** v. 344: ditataque (vis Argea) praeda arcis Ericthoniae.

v. 30 scriptor Culicis *Ericthonias arces* Athenas nominavit ab Ericthonio Vulcani filio Atheniensium rege, vv. autem 336 et 344 Troiam ab Ericthonio Dardani filio rege Troianorum. Nomen prioris exhibet Vergilius (cf. georg. 3, 113), nomen alterius Ovidius (cf. fast. 4, 33).

Adiectivum autem *Ericthonius* — et hoc et illud — a Vergilio alienum est. Semel admisit Propertius: 2, 6, 4 *populus*

---

1) *edita* CL, sic Leo et Ellis, *addita* ΓV, item Ribbeck et Vollmer; *navi edita pinus* verisimilius esse mihi videtur, quia dictum est ut v. 171 *cui crista superne edita.*

2) *erebois* Γ, *ereboeis* vel *erebo eis* VFCL.

Ericthonius, sed hoc loco idem est quod *Atheniensis,* ut Culicis in versu 30, alterum autem *Ericthonius,* quod habes vv. 336 et 344, exemplo caret.

Euboicas v. 355: Euboicas per cautes;
cf. Verg. Aen. 11, 260 *Euboicae cautes ultorque Caphereus;* 6, 42 *Euboicae rupis;* 6, 2 *Euboicis oris;* 9, 710 *Euboico litore.*

evectus v. 84: evectus finem transcendat habendi;

evectus v. 253: volucres evectus in auras.

De hoc verbo accuratius iam egi in priore capite. Simillimus est Culicis versui 253 Ovidii metamorphoseon locus 14, 127 *aërias . . . evectus ad auras;* cf. 2, 588 *mox acta per auras evehor.*

eversis v. 180: flexibus eversis;
haud secus Vergilius. cf. Aen. 1, 43; Ov. epist. 7, 42; Sen. Ag. 475.

exanimus vel **exanimis** v. 191: impiger, exanimus (-is) refugit;
exanimus, quod receperunt Leo, Ribbeck, Ellis, exhibent FCL, *exanimis* VS, quod placuit Vollmero.

Utramque formam praebet Vergilius, sed cum apud eum *exanimus* nihil valeat nisi quod Germanice „entseelt, leblos, tot", voci quae est *exanimis* praeter hunc alterum quoque significatum, quem habes in Culice, subiecit Vergilius, i. e. „betäubt, atemlos vor Schreck".

***excelsi** v. 46: excelsi montis iuga summa petivit;

***excelsis** v. 155: excelsis subter[1]) dumis.

Quod attinet ad hoc vocabulum, magnopere deflectit Culicis scriptoris sermo a Vergiliano. Est enim ignotum *excelsus* Vergilio, qui semper *celsus* praetulit pro eo (cf. Aen. 10, 653 *celsi saxi;* 11, 320 *celsi montis;* 3, 293 et 5, 439 *celsam urbem;* 3, 679 *celso vertice;* 6, 805 *celso de vertice;* 5, 35 *ex celso vertice montis;* 8, 604 *celso de colle;* 1, 56 *celsa arce;* 7, 343 *celsa tecta;* 4, 397 *celsas naves;* et saepius).

Excelsus imprimis solutae orationis est proprium (cf. Caes. civ. 1, 80 *montem excelsum;* Plin. nat. 10, 19 *in excelsissimis*

1) *excelsis subter* Heyne, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *excelsis supra* Exc., *excelsisque super Ω,* sic Ellis.

rupibus; al.), tamen scripserunt poetarum nonnulli. Legi primum apud Ovidium: cf. Pont. 2, 2, 86 *quos ... divus ab excelsa Iulius aede videt;* met. 15, 842 *ut ... Capitolia ... forumque divus ab excelsa prospectet Iulius aede;* fast. 2, 369 *pastor ab excelso ... dixit:* substantivi more; praeterea apud Senecam (cf. Phoen. 546 *excelsos rotis volitare proceres;* Thy. 911 *o me caelitum excelsissimum:* translate) et Val. Flaccum (1, 405 *tantum haec aliis excelsior hastis).*

*__exorabile__ v. 288: non fas, non erat in vitam divae exorabile mortis.

Vocem quae est *exorabilis* iterum omisit Vergilius. Adhibuit post Horatium primus Ovidius, deinde habent Val. Flaccus, Sil. Italicus, Iuvenalis:

cf. Hor. epist. 2, 2, 179 *metit Orcus grandia cum parvis, non exorabilis auro;* Ov. met. 2, 546 *non exorabilis index;* Val. Fl. 1, 782 *Stygiasque supremo obsecrat igne domos iam iam exorabile retro carmen agens;* Sil. 5, 131 *nulli exorabilis;* Iuv. 13, 102 *exorabile numen.*

experta v. 289: manes experta severos;

cf. Verg. georg. 4, 340; Aen. 1, 202; 11, 396.

extrema v. 384: extrema cum voce;

cf. Aen. 4, 621 *vocem extremam.*

fatalia v. 134: fatalia carmina;

idem huius vocabuli usus occurrit apud Vergilium.

*__fecunda__ v. 77: fecunda Pales.

Sonat in Culice *fecundus* idem, quod apud nos „befruchtend, Fruchtbarkeit verleihend", quae vis etiam apud Vergilium reperitur, sed cum is de imbribus utatur (cf. georg. 2, 325 *tum pater omnipotens fecundis imbribus aether coniugis in gremium laetae descendit et omnis magnus alit magno commixtus corpore fetus),* in Culice positum est de dea *(fecunda Pales).*

Exemplo bono probare non possum hunc usum. (cf. Ov. fast. 2, 427 *excipe fecundae patienter verbera dextrae;* met. 4, 698 *quam (Danaen) implevit fecundo Iuppiter auro;* Plin. nat. 5, 54 *(Nilus) certis diebus auctu magno per totam spatiatus Aegyptum fecundus innatat terrae).*

femineum v. 266: femineum decus;
cf. Verg. Aen. 9, 142 *femineum genus.*

ferox v. 267: turba ferox;
cf. georg. 3, 179 *turmas feroces.*

fessae v. 154: fessae capellae;
cf. ecl. 8, 85; Aen. 11, 913; 8, 26.

fessas v. 122: fessas refovebat in umbra;

fessos v. 205: fessos artus;
cf. georg. 4, 190 *fessos artus;* item Aen. 2, 253; 3, 511; 9, 814.

flagrantia v. 216: flagrantia taedis limina[1]);
cf. Aen. 12, 171.

***florida** v. 70: florida cum tellus;

***florida** v. 407: semper florida pinus[2]).

Vergilius cum habeat adiectivum *floreus* (Aen. 1, 430), *floridus* ei plane ignotum est.

Vidi propria notione scriptum primum apud Lucretium (5, 785 *florida fulserunt viridanti prata colore);* exhibent praeterea Catull. (61, 21 *floridis ramulis;* 63, 66 *floridis corollis),* Tib. (1, 1, 12 et 1, 2, 14 *florida serta),* Ov. (fast. 6, 312 *et velant scabras florida serta molas;* trist. 5, 6, 38 *florida quam multas Hybla tuetur apes);*

translate: Lucr. (5, 943 *novitas tum florida mundi),* Catull. (61, 57 *puellulam floridam;* 68, 16 *iucundum cum aetas florida ver ageret),* Ov. (met. 13, 790 *Galatea floridior pratis, longa procerior alno),* Sil. (12, 482 *aevi floridior Fabius rapida arma ferebat).*

foede adv. v. 196: foedeque petentis ossa ferit;
cf. Verg. Aen. 5, 794.

formans v. 397: lapidem levi de marmore formans;

formatum v 396: tumulus formatum crevit in orbem;
cf. Aen. 9, 80.

fraternos v. 142: fraternos ictus;
cf. Aen. 9, 736 *mortis fraternae;* georg. 3, 518 *fraterna morte;* Aen. 4, 21 *fraterna caede.*

---

1) *limina* AT, sic editores, *lumina* Ω.

2) *pinus* Ω, Leo; *picris* T^2 in marg., sic Vollmer; *tinus* Salmasius, Ribbeck, Ellis.

fulgentibus v. 83: spoliis fulgentibus;
cf. Aen. 6, 217; 861; 10, 550.

fundentes v. 120: fundentes gaudia;
saepissime Vergilius hoc verbum item posuit.

funditus adv. v. 336: prostravit funditus arces;
cf. Aen. 12, 594 *concussit funditus urbem.*

funesta v. 82: funesta certamina;
cf. Aen. 7, 322.

furens v. 272: nec timuit Phlegethonta, furens[1]), ardentibus undis;
haud secus Vergilius.

furibundus v. 187: prosiluit furibundus;
cf. Aen. 4, 646; 7, 348.

fuso v. 323: fuso sanguine;
item Aen. 12, 690 *fuso sanguine;* cf. 5, 330 *fusus (sanguis).*

gelidis v. 113: gelidis iugis;
cf. Aen. 8, 139 *gelido vertice.*

gelidis v. 148: gelidis e fontibus;
cf. ecl. 10, 42 *gelidi fontes.*

geminas v. 150: geminas aures;
cf. georg. 4, 300 *geminae nares.*

***gemmantis** v. 70: gemmantis picta per herbas.

Verbum quod est *gemmo* a Vergilio alienum est. Praebet post Lucretium primus Ovidius, invenitur praeterea apud Manilium et Martialem. Eodem sensu quo scriptor Culicis (i. e. „wie Edelsteine funkeln, glänzen") usurpaverunt Lucretius, Manilius, Martialis:

Lucr. 2, 319 *invitant herbae gemmantes rore recenti;* Manil. 5, 256 *nitidis gemmantem floribus hortum;* Mart. 13, 70 *miraris, quotiens gemmantes explicat alas* (de pavone);

apud Ovidium idem valet quod lingua vernacula „mit Edelsteinen besetzt sein, von Edelsteinen funkeln": met. 10, 113 *pendebant tereti gemmata monilia collo;* 3, 264 *si me gemmantia dextra sceptra tenere decet;* rem. 39 *gemmatas alas.* — cf. Manil. 4, 656 *leniter affundit gemmantia litora pontus.*

---

1) *furens* Ω, item Leo, Ribbeck, Vollmer, *furentem* Bembus, Ellis.

***Giganteo** v. 28: Giganteo sanguine.

Caret hoc adiectivo Vergilius.

Adhibuit post Propertium (cf. 1, 20, 9 *Gigantea ora)* et Horatium (cf. carm. 3, 1, 7 *Giganteo triumpho)* Ovidius potissimum: met. 14,1 *Giganteis faucibus;* trist. 2, 71 *cumque Gigantei memorantur proelia belli;* fast. 5,555 *Giganteis tropaeis;* et saepius; vide praeterea Stat. Theb. 7, 731 *Giganteis favillis;* Mart. 8, 50 *Gigantei triumphi;* Claud. carm. 28, 185 *Giganteis Furiis;* 33, 154 *Giganteos triumphos.*

***gracili** v. 1: gracili modulante Thalia.

Huius vocabuli usus abhorret a Vergiliano. Posuit enim Vergilius *gracilis* propria notione (cf. ecl. 10, 71 *gracili fiscellam texit hibisco),* scriptor autem Culicis vim translatam voci tribuit.

Qui exstat in Culice verbi significatus occurrit apud Ovidium: Pont. 2, 5, 26 *dum tamen in rebus temptamus carmina parvis, materiae gracili sufficit ingenium;* cf. Cir. 20 *gracilem molli liceat pede claudere versum.*

gramineam v. 393: gramineam terram;
cf. Aen. 5, 287 *gramineum in campum;* 7, 106 *gramineo ab aggere;* 6, 642 *in gramineis palaestris.*

grata v. 41: grata bonis lucens;

grata v. 230: modo sit dum grata voluntas;

gratae v. 76: illi sunt gratae rorantes lacte capellae;

gratissima v. 94: gratissima tempe;
cf. Aen. 3, 73.

gratum v. 294: gratum, si Tartara nossent, peccatum;
simili ratione Vergilius adiectivum quod est *gratus* scripsit.

graviore v. 8: graviore sono;
cf. georg. 4, 260 *sonus auditur gravior.*

gravis v. 166: gravis aere;
cf. georg. 3, 415.

Hellespontiacis v. 338: Hellespontiacis undis;
cf. georg. 4, 111.

hirsuta v. 138: pinus hirsuta;
cf. georg. 3, 231 *frondibus hirsutis;* 444 *hirsuti vepres;* ecl. 7, 53 *castaneae hirsutae.*

horrida v. 195: horrida membra;
Vergilius non aliter.

hospita v. 126: (socios Ithaci) hospita tenuit (lotos); cf. Aen. 3, 539; *hospita lotos* dicit Sil. 3, 311 *lotos nimis hospita;* (cf. Plésent, étude p. 125).

Ne quae sequuntur quidem verba discrimen exhibent inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens:

iacta v. 32: vincula ponto iacta[1]); cf. Aen. 9, 712.

icta v. 326: dolis Ithaci virtus concidit icta; similiter Vergilius.

igneus v. 42: igneus sol; item georg. 4, 426 *sol igneus;* Aen. 8, 97 *sol igneus.*

ima v. 105: ima ad vada; cf. Aen. 1, 125 *imis vadis;* 9, 120 *aequora ima;* 5, 239 *imis sub fluctibus;* georg. 3, 240 *ima unda.*

imam v. 280: imam radicem; cf. georg. 1, 319 *ab radicibus imis;* Aen. 8, 237 *imis radicibus.*

imitata v. 404: herba turis opes .. imitata; cf. georg. 4, 72.

immanis v. 164: immanis serpens; similiter georg. 2, 141 *immanis hydri;* 4, 458 *immanem hydrum;* Aen. 6, 576 *immanis hydra.*

immanis v. 234: immanis Otos; cf. Aen. 6, 418; 10, 209; 318; 3, 427; 6, 582.

immemor v. 379: haec immemor audis; cf. georg. 4, 491.

impia v. 124 et 125: impia lotos, impia;

impia v. 257: impia dextra; haud aliter Vergilius; *impia dextra* habes Ov. epist. 7, 130.

impiger v. 191: impiger .... refugit;

impiger v. 391: conformare locum capit impiger; cf. Aen. 1, 738.

implacabilis v. 238: implacabilis ira nimis; cf. Aen. 12, 3; 816 *caput implacabile; implacabilis ira* dicit Ovidius: Pont. 3, 3, 63.

---

1) *Iacta* ς, item editores; *L(a)eta* Ω.

implexae v. 129: Heliades, teneris implexae bracchia truncis.

Optima est Heinsii emendatio *implexae (amplexae Ω):* cf. Verg. georg. 4, 482 *implexae crinibus angues Eumenides.*

inceptum v. 394: inceptum laborem;
item georg. 2, 39 *inceptum laborem.*

incertos v. 162: incertos casus;
haud secus Vergilius. — cf. Ov. trist. 3, 11, 68 *incertas vices.*

incognita v. 60: incognita curis (bona pastoris);
cf. Aen. 12, 414.

***inevectus** v. 101: tendit inevectus radios Hyperionis ardor;

***inevectus** v. 341: ne quisquam[1]) propriae fortunae munere dives iret inevectus caelum super.

Hoc adiectivum, quod apud Vergilium non legitur, omnino contra analogiam formavit scriptor Culicis; *ἅπαξ εἰρημένον* esse videtur.

Vergilius dicit: *(Sol) invectus equis altum petit aethera* (georg. 3, 358).

infandas v. 112: infandas manus;
cf. Aen. 4, 613; 8, 483.

infesta v. 255: truculenta infestaque lumina;

infestum v. 389: infestum hostem;
similiter Vergilius.

inflexis v. 346: inflexis super carinis;
cf. georg. 1, 162; Aen. 3, 631.

infusum v. 387: sensibus infusum dolorem;
cf. Aen. 6, 726.

inimica v. 309: inimica mente;
haud secus Vergilius.

inimico v. 61: inimico pectore;
item Verg. Aen. 10, 556 et 11, 685 *inimico pectore.*

insigni v. 127: insigni curru;
cf. Aen. 7, 655 *insignem currum;* 10, 354; 5, 310.

instantia v. 227: instantia (sc. fata) vidi alterius;
cf. Aen. 10, 624 *instantibus fatis.*

---

1) *ne quisquam* V, *nec quicquam Γ*, *neque* SFCL, *ne quo* E, *cur aliquis* Exc.

interius adv. v. 386: interius graviter regementem;
exhibet Vergilius: georg. 3, 137.

***inviolata** v. 263: Alcestis ab omni inviolata vacat cura.

Inviolabilis apud Vergilium exstat (cf. Aen. 11,363 *inviolabile pignus),* vox autem quae est *inviolatus* ignota est Vergilio.

Inviolatus solutae potissimum orationis est proprium (Varro, Cic., Liv., al.), poetarum habet Sil. Italicus: 11, 307 *mens una, inviolata mero;* 13, 875 *vita inviolata;* praeterea in duobus incerti auctoris reperitur carminibus, quae sub Ovidii nomine tradita sunt: Nux 52 *quae longius absunt, nativum retinent inviolata decus;* cons. ad Liv. 43 *inviolata pudicitia.*

iucunda v. 213: iucunda quiete;
iucundo v. 93: iucundo somno;
eadem ratione Vergilius.

labentes v. 283: labentes ... per sidera .. pressit equos;
saepius Vergilius hoc verbum similiter posuit.

***lacrimante** v. 314: flamma lacrimante.

Lacrimandi autem verbum magnum discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris elocutionem intercedens nobis praebet. Cum enim Vergilius hoc verbum semper proprio sensu et de personis usurpet (cf. georg. 4, 356; Aen. 1, 459; 470; 3, 10; 344; 5, 771; 6, 1; 7, 358; 8, 559; 11, 90; 150; 9, 501; 2, 790; 11, 887), is, qui carmen fecit, notionem translatam vocabulo subiecit *(flamma lacrimante,* i. e. Germanice „tröpfelnde Flamme").

Atque hanc vim translatam nullo apud poetas inveni loco nisi Ovidii fastorum in versu 1, 339 *nondum pertulerat lacrimatas cortice myrrhas:* passive „herabgeträufelt, herabgeronnen".

Laertia v. 327: proles Laertia[1]);
cf. Aen. 3, 272.

laeta v. 45: pabula laeta;
item Verg. georg. 3, 385 *pabula laeta;* cf. Lucr. 2, 317 et Ov. am. 3, 5, 28 *pabula laeta.*

***lamentandi** v. 132: aeterna reliquit perfidiam lamentandi mala.

---

1) *laertia* ΓVF, *l(a)eertia* SCL.

Verbum quod est *lamentari* Vergilius non admisit. Scripsit primus Plautus, exhibent deinde Ennius, Pacuvius, Terentius, Lucretius, Horatius, Sil. Italicus, Statius:

Plaut. Mil. 1031 *lamentari ait illam, miseram cruciari et lacrimantem se adflictare;* Merc. 218 *quid ego, hic in lamentando pereo?;* Pseud. 313 *quod nunc lamentare, non esse argentum tibi;* Persa 742 *quid ego igitur cesso infelix lamentarier minas sexaginta?;* 744 *ego pol te faciam, scelus, te quoque etiam ipsum ut lamenteris;* Enn. ann. 204 V *sed ego hic animo lamentor;* Pacuv. 268 *conqueri fortunam adversam, non lamentari decet;* Ter. Phorm. 96 *matrem lamentari mortuam;* Lucr. 952 *obitum lamentetur;* Hor. epist. 2, 1, 224 *cum lamentamur non apparere labores nostros;* Sil. 13, 712 *armipotens ductor, quam sunt tua fata per urbem lamentata diu;* Stat. Theb. 12, 224 *nocte velut Phrygia cum lamentata resultant Dindyma.*

De gerundii usu vide quae adnotavit Leo p. 52; id. Hermes 40, p. 612.

languentia v. 93: languentia corpora;
cf. Verg. georg. 4, 252 *languebunt corpora.*

languida v. 207: languida membra;
cf. Aen. 12, 908; *languida membra* habes Ov. epist. 21, 156; 228.

Ne insequentium quidem verborum usus discrepat a Vergiliano:

latentem v. 390: sub fronde latentem ... locum;

lauta v. 62: lauta colore ... vellera;

lentae v. 55: salicis lentae;
item ecl. 3, 83 *lenta salix.*

lentae v. 143: lentae sc. hederae;
cf. ecl. 3, 38 *lenta vitis;* georg. 1, 265 *lentae viti;* Aen. 3, 31 *lentum vimen;* georg. 4, 34 *lento vimine;* Aen. 12, 773 *lenta radice;* georg. 4, 558 *lentis ramis.*

lentus v. 159: lentus in herbis (pastor);
similiter ecl. 1, 4 *lentus in umbra;* cf. Aen. 12, 237.

lentus v. 213: lentus refoves membra;
haud secus Vergilius.

Lethaeas v. 215: Lethaeas per undas;
cf. Verg. Aen. 6, 705 *Lethaeum amnem;* 714 *Lethaei ad fluminis undam;* 749 *Lethaeum ad fluvium.*

levi v. 397: lapidem levi de marmore;
eadem verba ecl. 7, 31 *levi de marmore . . . stabis.*

levibus v. 149: levibus rivis;
Vergilius similiter.

levior v. 7: pondere vel culicis levior famaque feretur;
cf. Aen. 7, 232 *vestra feretur fama levis.*

levior v. 206: levior somnus;
cf. Aen. 5, 838 *levis somnus.*

libera v. 90: pura voluptas, libera;
item Vergilius hoc vocabulum usurpavit.

Libycae v. 371: Libycae Carthaginis;
cf. Aen. 4, 348 *Libycae urbis;* 1, 339 *fines Libyci;* 377 *Libycis oris;* 4, 271 *Libycis terris;* 320 *Libycae gentes;* et saepius.

ligantes v. 141: hederae ligantes bracchia;
cf. Aen. 2, 217.

liquido v. 17: liquido pede;
cf. Aen. 5, 217.

lucida v. 102: lucida discrimina;
non aliter Vergilius.

ludente v. 19: ludente chorea;

ludentes v. 115: ludentes Panes;
cf. Verg. ecl. 6, 28.

***lurida** v. 47: lurida . . . velabant gramina colles.

Omisit hoc adiectivum Vergilius.
Vidi primum apud Plautum, praeterea apud Horatium, Ovidium saepius, Senecam, Petronium, Sil. Italicum:

proprie: Plaut. Capt. 595 *viden tu illi maculari corpus totum maculis luridis?;* Hor. carm. 3, 4, 74 *luridum Orcum;* 4, 13, 10 *refugit te, quia luridi dentes, te quia rugae turpant et capitis nives;* epod. 17, 22 *verecundus color reliquit ossa pelle amicta lurida;* Ov. met. 4, 267 *luridus pallor;* 14, 747 *lurida membra;* 14, 791 *lurida sulphura;* 15, 785 *Solis quoque tristis imago lurida sollicitis praebebat lumina terris;* Sen. Med. 790 *lurida;*

translate: Ov. met. 14, 198 *me luridus occupat horror;* 1, 147 *lurida aconita;* Petron. 124 *lurida mortis imago;* Sil. 13, 560 *nigrum pandens mors lurida rictum.*

***maculatus** v. 164: vario maculatus corpore serpens.

De hoc verbo, quod discrimen — etsi minus magnum — exhibet inter Vergilii et Culicis scriptoris sermonem intercedens, satis accurate dictum iam est in priore capite sub voce *maculatur*.

Similis est georgicorum versus 3, 427 *notis longam maculosus grandibus alvom (anguis).*

magni v. 11: magni Iovis decus;
item Aen. 3, 104 *Iovis magni;* 9, 208 *magnus Iuppiter;* 12, 808 *magne Iuppiter.*

magni v. 360: magni orbis;
cf. georg. 2, 338 *magnus orbis;* Aen. 1, 602 *magnum per orbem;* 11, 694.

magno v. 165: magno aestu;
item Aen. 4, 532 et 8, 19 *magno aestu,* sed translate.

***magno** v. 306: Teucria cum magno manaret sanguine tellus.

Insolentissime scriptum est hoc *magno sanguine* pro *multo sanguine,* quod semper praebet Vergilius: cf. Aen. 2, 532; 551; 662; 5, 736; 6, 87; 11, 422.

Legitur *magno sanguine* apud Statium: Theb. 8, 595. — cf. Iustin. 22, 7 *magno utriusque exercitus sanguine.*

maerentis v. 125: Ithaci maerentis;
cf. Aen. 12, 399 *maerentis Iuli.*

maesta v. 273: maesta Ditis regna;
eadem verba Sen. Herc. O. 1705 *maesta regna Iovis.*

maestus v. 235: maestus aspiciens Ephialten;
frequentavit hanc vocem Vergilius.

manans v. 148: manans e fontibus unda;
cf. georg. 3, 310.

***manantia** v. 78: manantia fontibus antra.

De hoc vocabulo, cuius usus recedit a Vergiliano, satis multa verba iam feci in priore parte sub vocibus *manaret* et *manat.*

Simillimus est Ovidii metamorphoseon versus 14, 515 *antra levibus guttis manantia.*

mansura v. 38: mansura per aevum (gloria);
cf. ecl. 5, 78; eadem verba quae in Culice habes Ov. met. 5, 227 *mansura . . . monimenta per aevum.*

marini v. 403: roris[1]) marini;
cf. georg. 1, 362; Aen. 7, 780. — georg. 2, 213.

meditantem v. 250: meditantem vulnera natis (matrem); cf. ecl. 5, 61; georg. 3, 153.

memorabilis v. 37: memorabilis ... gloria;
cf. Aen. 2, 583; 4, 94.

***menstrua** v. 284: menstrua virgo (i. e. Luna).

Hausisse Culicis scriptorem hanc vocem ex georgicorum versu 1, 353 mihi persuasum est. Sed male imitatus est Vergilium. Quod enim Vergilius de luna dicit apte *(menstrua luna)*, id scriptor Culicis de virgine posuit inepte.

merenti v. 229: fit poena merenti;
(cf. Aen. 2, 585 *sumpsisse merentis poenas)*.

merenti v. 413: tibi tale merenti officium reddit;
i. e. *tibi merenti reddit tale officium.* — Similiter Vergilius.

meritis v. 24: meritis chartis;
cf. Aen. 3, 118; 5, 70; 11, 224.

mersus v. 165: mersus in limo (serpens);
cf. Aen. 10, 559.

misera v. 268: misera Eurydice;
item georg. 4, 526 *miseram Eurydicen;* cf. 494.

miserandas v. 251: miserandas puellas;
haud secus Vergilius hoc verbum usurpavit.

miseris v. 353: miseris fatis;
eodem modo saepius Vergilius.

modulante v. 1: modulante Thalia;
Vergilius non aliter hoc vocabulo utitur: cf. ecl. 5, 14; 10, 51.

mollia v. 35: mollia carmina;
similiter Vergilius; *mollia carmina* habet Ovidius tristium in versu 2, 349: *mollia carmina feci.*

***Molossis** v. 331: canibus succincta Molossis (Scylla).

Substantivum *Molossus* exhibet Vergilius georg. 3, 405 *(acrem Molossum,* i. e. canem), adiectivo autem *Molossus,* quod habes in Culice, caret.

1) *roris Γ*, sic editores, sane recte; *rosis* FCL.

Adhibuit primus Lucretius (5, 1063 *irritata canum cum primum magna Molossum mollia ricta fremunt duros nudantia dentes)*; praebent deinde Hor. (sat. 2, 6, 114 *canibus Molossis)*, Prop. (4, 8, 24 *colla Molossa)*, Ov. (met. 1, 226 *gente Molossa; 13, 717 rege Molosso)*, Sil. (2, 689 *custos Molossus)*, Stat. (Theb. 8, 201 *Molosso Iovi;* silv. 2, 6, 19 *canes Molossi;* Theb. 3, 475 *lucis Molossis)*, Mart. (12, 1 *latratores Molossi)*, Iuv. (12, 108 *regi Molosso;* 14, 162 *gladios Molossos)*.

mutandus v. 258: mutandus numquam labor;
eadem ratione Vergilius hanc vocem scripsit.

nantia v. 151: nantia corpora;
Vergilius haud aliter.

naufraga v. 357: praeda naufraga[1]);
cf. georg. 3, 542.

***nectareas** v. 241: nectareas divum qui prodidit escas.

Vergilius cum praebeat substantivum *nectar*, adiectivum *nectareus*, quod perraro legitur, non admittit.

Finxit Ovidius: cf. met. 7, 707 *nectareis quod alatur aquis*, praeterea notione translata posuit Martialis: 13, 108 *nectareum Falernum*.

nescia v. 145: myrtus non nescia fati;
item Aen. 1, 299 *fati nescia Dido;* 10, 501 *nescia mens fati;* 9, 552 *haut nescia;* 12, 227.

nigrae v. 140: ilicis nigrae;
cf. Aen. 9, 381 *ilice nigra*.

nimia v. 126: nimia dulcedine;
haud secus Vergilius.

nitidis v. 170: nitidis fulgoribus; de serpente, item georg. 3, 437 et Aen. 2, 473. — cf. georg. 1, 467.

nixus v. 98: baculo nixus (pastor);
cf. Aen. 10, 736 *pede nixus et hasta; baculo nixus* dicit Ovidius: Pont. 1, 8, 52 *ipse velim baculo pascere nixus oves*.

obiecto v. 316: obiecto clipeo certamina dabat;
eadem verba apud Vergilium exstant: Aen. 12, 377 *clipeo obiecto*

1) sic scribendum cum ΓV; quod exhibent SFCL *naufragia* corruptum.

conversus in hostem ibat. Poetarum alter transscripsisse videtur alterum; cf. Aen. 2, 444 *clipeosque ad tela sinistris protecti obiciunt.*

***obiturus** v. 338: Hellespontiacis obiturus undis (Graius).

Huius vocabuli usus abhorret a Vergiliano. Utitur enim scriptor Culicis obeundi verbo absolute et translate pro *mori,* Vergilius autem semper transitive (valet apud eum idem quod Germanice „umgeben, umhüllen" (Aen. 8, 553; 10, 483; 6, 58) vel „umlaufen, umfliegen" (12, 478) vel „besuchen, bereisen, betreten" (6, 167; 801) vel „mit den Augen begehen, betrachten" (Aen. 10, 447)). Si exprimere vult Vergilius mortuum esse aliquem, non dicit, ut is qui carmen fecit, *obisse* tantum, sed *mortem obisse* (cf. Aen. 10, 641 *morte obita).*

Qui legitur in Culice obeundi verbi significatus Augustea aetate raro invenitur; primum occurrit apud Lucretium, praeterea apud Propertium et Horatium vidi: cf. Lucr. 3, 1079 *quin obeamus;* 3, 1040 *ipse Epicurus obit decurso lumine vitae;* 1045 *tu vero dubitabis et indignabere obire, mortua cui vitast?;* Hor. carm. 2, 17, 2 *nec dis amicum est nec mihi te prius obire;* 3, 9, 24 *tecum vivere amem, tecum obeam libens;* cf. sat. 2, 8, 59 et carm. 2, 20, 7; Prop. 2, 3, 39 *digna quidem facies, pro qua vel obiret Achilles.*

Accuratius de hoc verbo egit B. Winand in dissertatione, quae inscribitur „Vocabulorum latinorum quae ad mortem spectant historia", Marpurgi a. 1906, p. 65 sqq. (cf. etiam p. 40 sq.). Is *obire* pro *mori* dictum ex siderum occidentium comparatione natum esse putat (cf. Lucr. 3, 1040; *obire* pro *occidere* usurpatum: Lucr. 4, 433 *in pelago nautis ex undis ortus in undis sol fit uti videatur obire et condere lumen;* Cic. Arat. 467 *abditur Orion, obit et Lepus abditus umbra;* Stat. silv. 2, 1, 206 *obeunt astra).*

obsita v. 275: Tartara nocte cruenta obsita;
cf. Verg. Aen. 7, 790; 8, 307.

obtenta v. 273: obtenta[1]) ferrugine;
similiter georg. 1, 248 *obtenta nocte;* (cf. v. 467).

***obtritum** v. 188: illum (culicem) obtritum morti misit (pastor).

---

1) *obtenta* Sς, item editores, recte; quod exhibent Ω *obtentu* et V *obtemptu* sensu caret.

Obterendi verbum omnino alienum est a Vergilio. Reperitur primum apud Plautum, praebent deinde Lucretius, Catullus, Phaedrus, Seneca, Lucanus:

proprie: Lucr. 3, 893 *urgerive superne obtritum pondere terrae;* Phaedr. 1, 30 *proculcatas obteret duro pede;* Lucan. 7, 276 *obteret hostem;* 3, 656 *obtritis ossibus;*

translate: Plaut. Curc. 573 *meaeque pugnae proeliares plurumae obtritae iacent;* Lucr. 5, 1234 *usque adeo res humanas vis abdita quaedam obterit et pulchros fascis saevasque secures proculcare ac ludibrio sibi habere videtur;* 1, 79 *religio pedibus subiecta vicissim obteritur;* Catull. 65, 8 *Troia Rhoeteo quem subter litore tellus ereptum nostris obterit ex oculis;* Sen. Oed. 646 *incestam domum vertam et penates impio Marte obteram.*

Quae sequuntur quidem vocabula discrimen non exhibent:

opaca v. 78: opaca antra;

opacos v. 372: opacos lacus;

optato v. 79: optato aevo;
cf. Aen. 7, 303; 5, 201.

orbus v. 253: quo Bistonius rex orbus, epops, maeret;
cf. Aen. 11, 216.

oriens v. 202: oriens nox;
cf. Aen. 7, 138 *noctis orientia signa;* 149; 8, 68; georg. 3, 156.

ovans v. 329: Pallade iam laetatur ovans;
cf. Aen. 5, 331.

pallente v. 405: hederaeque nitor pallente corymbo (cf. v. 144); simillimus est eclogarum versus 3, 39 *vitis diffusos edera vestit pallente corymbos;* poetarum alter compilavit hoc loco alterum; cf. georg. 4, 124 *pallentes hederas.*

pallentes v. 333: pallentes lacus;
haud aliter Vergilius.

palustri v. 72: calamo palustri;
cf. georg. 3, 175.

pampineo v. 75: pampineo amictu;
cf. georg. 2, 5; ecl. 7, 58; Aen. 7, 396; 6, 804.

Panchaia v. 87: Panchaia tura;
cf. georg. 4, 379 (2, 139 nomen proprium), Ov. met. 10, 309.

***Pandionias** v. 251: Pandionias puellas.

Adiectivum *Pandionius* Vergilius non praebet. Legi primum apud Ovidium: met. 15, 430 *quid Pandioniae restant, nisi nomen, Athenae?* (cf. Cir. 101 *Pandioniis sedibus;* Octavia 8 *volucres Pandionias).*

par v. 231: existat par officium;
Vergilius non aliter.

paranti v. 182: cui cuncta paranti;

paratos v. 310: ignes inferre paratos;
cf. Aen. 3, 248 *bellum inferre paratis;* 7, 605 *inferre bellum parant.*

paratus v. 6: quisquis erit culpare iocos musamque paratus;
frequentavit hanc vocem Vergilius.

***pariles** v. 229: ad pariles agor eventus;

***pariles** v. 358: pariles virtutis honore heroes.

Quod attinet ad hoc vocabulum, magnum discrimen intercedit inter Vergilii et Culicis scriptoris genus dicendi. Est enim plane ignotum hoc adiectivum Vergilio, qui voce *par* utitur pro eo.

Inveni *parilis* apud duos tantum poetas, apud Lucretium et Ovidium: cf. Lucr. 1, 1067 *et noctes pariles agitare diebus;* Ov. met. 8, 631 *sed pia Baucis anus parilique aetate Philemon;* 10, 115 *parili aetate;* trist. 1, 8, 26 *accipere, et parili reddere voce, vale;* met. 7, 305 *arte suum parili revirescere posse parentem;* 14, 29 *parilique cupidine captam;* 8, 568 *quosque alios parili fuerat dignatus honore amnis Acarnanum:* similiter ut in Culicis versu 358 de heroibus; 5, 478 *parilique irata colonos ruricolasque boves leto dedit.*

Sed Birtius iam dixit („ad hist. hex. lat." p. 41) maiorem habere veri similitudinem fluxisse *parilis* ex Ovidio in Culicem neque ex Lucretio. Quam sententiam firmari credo metamorphoseon versu 8, 568, ubi ut Culicis in versu 358 de heroibus similiter utitur Ovidius verbis *parili honore.* Cum versu Culicis 229 *pariles eventus* conferas velim met. 5, 478 *parili leto.*

Parnasia v. 15: Parnasia rupes;
eadem verba habes apud Vergilium: ecl. 6, 29 *nec tantum Phoebo gaudet Parnasia rupes;* poetarum alter, quod persaepe fieri iam vidimus, iterum transscripsit alterum.

parve v. 413: parve culex;
cf. ecl. 4, 60 et 62.

parvolus v. 183: parvolus alumnus;
cf. Aen. 4, 328.

passus v. 365: ardorem corpore passus;
item Vergilius persaepe.

patens v. 311: Ida patens[1]);

patentes v. 123: patentes aeriae platanus;
eadem ratione Vergilius hanc vocem adhibuit.

patula v. 16: patula fronte;

patulis v. 146: patulis ramis;

patulos v. 47: patulos colles;
cf. ecl. 1, 1 *patulae fagi;* georg. 4, 566; 3, 362 *patulis plaustris;* Aen. 7, 115 *patulis quadris.* — Ov. met. 7, 622 *patulis ramis.*

Pelasgas v. 309: classes Pelasgas;
cf. Aen. 1, 624; 2, 106; 152.

***pendula** v. 52: pendula proiectis carpuntur et arbuta ramis.

Frustra quaeres hoc adiectivum apud Vergilium, qui semper utitur participio *pendens:* cf. georg. 4, 374 *pendentia pumice tecta;* Aen. 1, 166 *scopulis pendentibus;* 5, 393 *spolia pendentia;* 8, 632 *pendentis pueros;* 669 *te, Catilina, pendentem scopulo;* 9, 331 *pendentia colla;* 562 *ipsum pendentem (Lycum);* 10, 586 *Lucagus ut pronus pendens.*

Vidi post Horatium primum apud Ovidium, praeterea apud Martialem:

proprie: Hor. carm. 3, 27, 59 *potes hac ab orno pendulum zona bene te secuta laedere collum;* Ov. fast. 4, 386 *pendula caelestis Libra movebat aquas;* met. 7, 117 *pendulaque audaci mulcet palearia dextra;* epist. 1, 10 *lassasset viduas pendula tela manus;* Mart. 8, 33, 16 *bombyx pendulus urget opus;* 13, 112 *pendula Pomptinos quae spectat Setia campos;*

translate: Hor. epist. 1, 18, 110 *neu fluitem dubiae spe pendulus horae.*

---

1) sic scribendum puto cum ς, nam bonum praebet sensum; *patens* Leo, *potens Ω*, item Ribbeck et Vollmer, *parens* Ellis.

peragens v. 394: inceptum peragens ... laborem;
similiter Aen. 4, 452 *quo magis inceptum peragat.*

peremptae v. 356: Phrygiae peremptae[1]);
item Aen. 5, 787 *Troiae peremptae.*

perfossus v. 31: perfossus Athos;
cf. Aen. 11, 10.

perfusa v. 14: Arna[2]) Xanthi perfusa liquore;
haud secus Vergilius hoc verbum usurpavit.

pernix v. 119: te, pernix, remorantem[3]) (scil. tenuit), diva, chorea;
cf. georg. 3, 93.

Phrygios v. 303: ignes Phrygios;
cf. Aen. 7, 430 et saepius.

picta v. 70: tellus ... picta per herbas;
cf. ecl. 2, 50; similiter Ov. fast. 4, 430 *picta flore humus.*

***Pierii** v. 18: Pierii laticis decus.

Vergilius semper nomen proprium scripsit *Pierides* (cf. ecl. 3, 85; 6, 13; 8, 63; 9, 33; 10, 72), adiectivo autem *Pierius* caret. Occurrit *Pierius* primum apud Propertium (cf. 3, 13, 5 *Pieriae quercus);* legi deinde apud Horatium (ars 405 *Pieriis modis),* Ovidium (Pont. 1, 5, 58 *Pieriis invigilate choris;* 2, 9, 62 *Pieria via;* am. 3, 9, 26 *Pieriis aquis:* similiter ut in Culice), Martialem (8, 70 *Pieriam frontem;* et saep.).

***placabile** v. 271: credidit .. ulli Ditis placabile numen.

Deflectit huius vocabuli usus a Vergiliano. Cum enim is, qui carmen fecit, vim propriam verbo subiciat *(Ditis numen),* Vergilius adhibet translate (de ara: Aen. 7, 764 *placabilis ara Dianae;* 9, 585 *placabilis ara Palici).*

Atque propriam notionem exhibet Horatius (cf. epist. 1, 20, 25 *irasci celerem, tamen ut placabilis essem),* simillimus est autem Ovidii tristium versus 2, 141, ubi ut in Culice dicitur *placabile* esse *numen: Sed solet interdum fieri placabile numen;* praeterea vide trist. 3, 5, 31 *quo quisquis maior, magis est pla-*

---

1) *peremptae* Helmstad., *perempta Ω.*

2) *Arna* Haupt, *Alma Ω.*

3) *pernix remorantem* restituit Vossianus, sic Leo et Vollmer; *pernigre morantem Ω*; *pernix remorantur* Ribbeck, *pernice morantur* Ellis.

cabilis irae; met. 10, 399 *sacris placabilis ira;* Pont. 1, 9, 23 *placabilis ira deorum est;* fast. 2, 541 *sed et his placabilis umbra est.*

placido v. 97: placido pectore;
item Aen. 1, 521 *placido pectore.*

placidum v. 149: placidum liquorem;

placidum v. 345: per placidum pelagus;
cf. Aen. 8, 96; 10, 103.

politus v. 86: non arte politus (deus);
proprio sensu, item Vergilius: Aen. 8, 426; 436.

***pollentem** v. 74: atque illum . . . laetum . . . otiaque . . degentem . . . . . pollentemque sibi . . . Tmolia . . . coma velat.

Vocem quae est *pollens* iterum omisit Vergilius[1]). Posuit post Plautum et Lucretium primus Ovidius, habent praeterea Seneca, Lucanus, Val. Flaccus, Sil. Italicus:

Plaut. Capt. 278 *quod genus illi est unum pollens atque honoratissumum;* Curc. 114 *vinipollens Liber;* Lucr. 2, 650 *pollens opibus;* et saepius; Ov. trist. 3, 10, 55 *hostis equo pollens longeque volante sagitta;* fast. 1, 269 *pollens ope sum;* 2, 425 *non tu pollentibus herbis, nec prece, nec magico carmine mater eris;* 6, 54 *tu pollens urbe nepotis eris;* met. 5, 508 *sed tamen inferni pollens matrona tyranni;* 7, 196 *pollentibus herbis;* Sen. Ag. 805 *sororem cuncta pollentis viri, Argolica Iuno;* Lucan. 6, 685 *tunc vox, Lethaeos cunctis pollentior herbis excantare deos;* Val. Fl. 6, 85 *pollens venenis;* Sil. 14, 81 *tractare sereno imperio vulgum pollens.*

Verbum quod est *polleo* exhibet etiam Horatius (ars 242 *tantum series iuncturaque pollet).*

praeceptum v. 290: praeceptum signabat iter;
Vergilius non aliter.

praefata v. 247: Hymen praefata;

praestantis v. 57: praestantis imaginis;

pressos v. 160: in herbis pressos artus;

---

1) Exstat autem Cir. 411 *Nisi pollentis* et 483 *caeruleo pollens coniunx Neptunia regno.*

probando v. 80: sensu probando;
haec quoque Vergiliana; item:

proceros v. 138: pinus proceros[1]) decorat silvas hirsuta per artus;
cf. ecl. 6, 63 *proceras alnos.*

proiectis v. 52: proiectis ramis;
cf. Aen. 10, 587.

proiectus v. 127: curru proiectus Phaethon;
cf. Aen. 11, 87; 5, 859.

proiectus v. 158: concepit proiectus membra soporem;
cf. ecl. 1, 75 *viridi proiectus in antro.*

prona v. 123: prona valle;
cf. Aen. 8, 236; georg. 1, 203; Aen. 8, 548.

propinquo v. 341: propinquo telo;
eadem ratione Vergilius.

propriae v. 340: propriae fortunae munere dives;

proprios v. 409: proprios exarsit in artus;
Vergilius similiter.

protectus v. 321: ferro protectus;
cf. Aen. 10, 800 *parma protectus;* 2, 444; 8, 662.

***pudibunda** v. 399: rosa pudibunda.

Incerta est huius versus lectio. Exhibent ΓV *pudibunda,* quod receperunt Ribbeck, Ellis, Vollmer, FCL *rubicunda,* quod placuit Leoni. Ego malim *pudibunda,* quia habet Vossianus ille, qui saepius rectam scripturam praebet.

Adiectivum *rubicundus* cum notum sit Vergilio (georg. 1, 297 *rubicunda ceres),* vocabulum quod est *pudibundus* ab eo alienum.

Scripsit Horatius (cf. ars 233 *ut festis matrona moveri iussa diebus, intererit satyris paullum pudibunda protervis),* imprimis vero Ovidius: cf. epist. 11, 81 *ipsa nihil praeter lacrimas pudibunda profudi;* met. 3, 393 *pudibundaque frondibus ora protegit;* 6, 604 *oraque develat miserae pudibunda sororis;* 9, 568 *deque suis unum famulis pudibunda vocavit;* 10, 421

---

1) *proceras Ω*, sic Leo, *proceros* Heinsius, item Ribbeck, Ellis, Vollmer.

pudibundaque vestibus ora texit; am. 3, 7, 69 *pudibunda iaces;* fast. 2, 819 *pudibundaque celat amictu ora.* — Vide praeterea Val. Fl. 1, 809 *date fallaci pudibunda senectae exitia indecoresque obitus:* i. q. inhonestus, infamis; Stat. Theb. 5, 296 *exoritur pudibunda dies.*

pulsatus v. 33: Hellespontus pedibus pulsatus equorum; cf. Aen. 11, 660.

purpureo v. 172: purpureo amictu;
item Aen. 3, 405 *purpureo velare comas amictu;* 12, 602 *purpureos amictus.*

purpureum v. 399: purpureum ruborem[1]);
purpureum ruborem esse locutionem Ovidianam Leo iam monuit (l. c. p. 110): cf. trist. 4, 3, 70 *purpureus molli fiat in ore rubor,* item Sen. Phaedr. 376 *non ora tinguens nitida purpureus rubor.*

quaerentem v. 245: otia quaerentem frustra;
frequentavit hanc vocem Vergilius. — Verborum positio eadem est quae exstat Ovidii tristium in versu 3, 1, 67 *quaerentem frustra custos e sedibus illis praepositus sancto iussit abire loco.*

querulae v. 151: querulae voces;
cf. georg. 3, 328 *querulae cicadae.*

rapaces v. 103: flammas rapaces;
cf. georg. 3, 142. — Ov. met. 8, 837 *rapax ignis.*

rapax v. 331: Scylla rapax canibus succincta Molossis;
Scylla rapax dicit Ovidius indeque sumpsisse videtur scriptor Culicis: cf. epist. 12, 123 *aut nos Scylla rapax canibus misisset edendos.*

rapidi v. 278: rapidi amnes;
cf. Aen. 6, 550 *rapidus amnis;* 11, 298 *rapidos amnis.*

***recinente** v. 13: recinente[2]) lyra;

***recinente** v. 72: calamo recinente[3]) palustri.

Recinendi verbum frustra quaeres apud Vergilium, adhibuit autem saepius Horatius, qui formasse videtur[4]):

---

1) *ruborem* ΓV, *ta rorem* F, *ter(r)ore(m)* L, *per orbem* C, *colorem* E.

2) *recinente* ΓVW, item Leo, Ribbeck, Vollmer; *recanente* FCL, sic Ellis.

3) *recinente* Exc. ΓVW, *recanente* FCL.

4) Vide Schoenwitzium l. c. p. 11.

intransitive: carm. 3, 27, 1 *impios parrae recinentis omen ducat;*

transitive: carm. 1, 12, 3 *cuius recinet iocosa nomen imago;* 3, 28, 11 *tu curva recines lyra* (cf. Cul. 13) *Latonam et celeris spicula Cynthiae;* epist. 1, 1, 55 *haec recinunt iuvenes dictata senesque.*

redituras v. 381: digredior nunquam rediturus;
haud secus Vergilius.

reflexis v. 221: anguibus reflexis;
cf. Aen. 8, 633; 10, 535; 11, 622.

***regementem** v. 386: interius graviter regementem.

Verbum quod est *regemo* et Vergilio plane ignotum et apud alios poetas exemplo paene caret[1]).

Usurpasse videtur nemo nisi Statius: Theb. 5, 389 *dat operta fragorem pinus, et abiunctis regemunt tabulata cavernis,* 8, 17 *tunc regemunt pigrique lacus ustaeque paludes;* cf. Sidon. carm. 11, 123 *per bifores regemunt cava buxa cavernas.*

***regente** v. 335: quo flamma regente Doris ... prostravit ... arces.

Insolentissime scriptum est hoc *quo regente.* Vergilius dicit semper, ut solet, *regere aliquem* vel *aliquid,* in Culice autem intransitive vel absolute positum est *regere.*

Similis est apud Tacitum locus: ann. 13, 3 *regente eo,* cf. 4, 33 *Tiberio regente.*

relicta v. 285: nocte relicta;

relinquens v. 228: mea fata relinquens;
eodem modo Vergilius saepius.

reluctantis v. 196: reluctantis ossa;
cf. georg. 4, 301.

***remorantem** v. 119: te, pernix, remorantem[2]) (scil. tenuit), diva, chorea.

Non admisit remorandi verbum Vergilius[3]).

---

1) cf. Schoenwitz, p. 26.

2) *pernix remorantem* restituit Vossianus ex *pernigre morantem,* quod exhibet Ω; receperunt Leo et Vollmer, mihi quoque placuit; *pernix remorantur* Ribbeck, *pernice morantur* Ellis.

3) Habes autem Cir. 217 *vestibulo in thalami paulum remoratur.*

Legi primum apud Plautum, praebent deinde Terentius, Lucretius, Catullus, Propertius, Ovidius[1]):

transitive: Plaut. Cas. 715 *eo nunciam, nisi quippiam remorare me;* Persa 80 *sed aperiuntur aedes, remorandust gradus;* Ter. Andr. 739 *manebo, nequod vostrum remorer commodum;* Prop. 1, 19, 17 *quamvis te longae remorentur fata senectae;* Ov. met. 13, 220 *cur non remoratur ituros?;* 11, 233 *nec remoretur iter, nec opertum pendeat alga;* fast. 6, 772 *et fugiunt freno non remorante dies:* absolute; met. 10, 671 *et rursus pomi iactu remorata secundi, consequitur transitque virum;*

intransitive: Plaut. Cas. 804 *quid illaec nunc tam diu intus remorantur remeligines? quasi ob industriam?;* Lucr. 2, 564 *remorari in concilio; 6, 717 et contra fluvium flantes remorantur;* Catull. 61, 196 sq. *sed abit dies: perge, ne remorare. Non diu remoratus es, iam venis;* Ov. met. 4, 137 *sed postquam remorata suos cognovit amores* ... e. q. s.

***remota** v. 73: fraude remota;

***remoto** v. 198: languore remoto.

Huius vocabuli significatus a Vergiliano differt. Utitur enim Vergilius removendi verbo proprio sensu (cf. Aen. 1, 216 et 723 *postquam mensae romotae;* georg. 1, 131 *ignem removit),* cum scriptor Culicis vim translatam ei tribuat *(fraude remota, languore remoto).*

Atque notionem translatam post Plautum et Lucretium primum vidi apud Ovidium, praeterea apud Sil. Italicum:

cf. Plaut. Stich. 309 *adproperate, fores facite ut pateant: removete moram;* Lucr. 5, 350 *morbis aegrescimus isdem atque illi quos a vita natura removit;* Ov. trist. 1, 3, 13 *ut tamen hanc animi nubem dolor ipse removit;* 3, 7, 31 *ergo desidiae remove, doctissima, causas;* met. 6, 493 *cura removente soporem;* 12, 626 *a se Tantalides onus invidiamque removit;* 13, 373 *obstantia fata removi;* am. 1, 14, 29 *vim procul hinc remove;* Sil. 11, 176 *hi sunt, qui iura dedere terrore expulso Sidicinaque bella remorunt.*

residentes v. 146: volucres patulis residentes ... ramis; Vergilius non aliter.

resonante v. 121: resonante susurro;

resonantia v. 147: carmina resonantia;

1) Schoenwitz, p. 15.

simili ratione Vergilius hanc vocem posuit. — cf. Ov. am. 2, 6, 6 *resonent carmina.*

restantem v. 118: Orpheus Hebrum restantem tenuit ripis[1]); cf. georg. 4, 490.

revocatus v. 240: ad Stygias revocatus aquas; haud alio modo Vergilius. cf. Ov. trist. 5, 9, 19 *seminecem Stygia revocasti solus ab unda.*

***revolubile** v. 169: corpus revolubile volvens.

Adiectivum quod est *revolubilis* apud Vergilium non exstat. Scripserunt Propertius, Ovidius, Sil. Italicus[2]):

cf. Prop. 4, 7, 51 *iuro ego fatorum nulli revolubile*[3]) *carmen;* Ov. Ib. 189 *Sisyphe, cui tradas revolubile pondus, habebis;* Sil. 11, 474 *Bistonius vates — fixit revolubile saxum;* 15, 237 *pelagi revolubilis unda.*

revolutus v. 242: revolutus in omnia; non discrepat huius vocabuli usus a Vergiliano.

Rhoetei v. 313: Rhoetei litoris ora; cf. Aen. 6, 505 *Rhoeteo litore;* 3, 108 *Rhoeteas in oras.*

***rorantes** v. 76: rorantes lacte capellae.

Etsi Vergilius rorandi verbo ipso similiter usus est atque scriptor Culicis (cf. Aen. 8, 645 *sparsi rorabant sanguine vepres,* 11, 8 *rorantes sanguine cristas;* 3, 567 *rorantia vidimus astra;* 12, 512 *rorantia (capita) sanguine portat),* tamen multo elegantius posuit neque tam inepte ut is, qui carmen fecit, de capellis lactis plenis. Vergilius non dicit *rorare* lacte capellas, sed ecl. 7, 3 esse *distentas lacte capellas;* cf. praeterea 4,21 *ipsae lacte domum referent distenta capellae ubera;* 9, 31 *sic cytiso pastae distendant ubera vaccae;* 3, 30 *bis venit ad mulctram, binos alit ubere fetus (vitula);* georg. 2, 524 *ubera vaccae lactea demittunt;* 3, 309 *quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra, laeta magis pressis manabunt flumina mammis;* 396 *hinc et amant fluvios magis, et magis ubera tendunt.* cf. Förster l. l. p. 10.

---

1) *ripis* ΓBE, *rivis* VWAT, *rupit* C.

2) Schoenwitz, p. 18.

3) De huius adiectivi notione, quae ad librum spectat, qui revolvitur, cf. Th. Birt, Jahrbuch des kaiserl. deutschen arch. Inst. tom. XXIII (a. 1908) p. 118, n. 6.

roseis v. 44: crinibus roseis tenebras Aurora fugarat;
cf. Aen. 6,535; 7,26.

ruenti v. 337: reddidit, heu, Graius[1]) poenas tibi, Troia, ruenti[2]);
simillime Aen. 2,290 *ruit alto a culmine Troia;* cf. 363 *urbs antiqua ruit;* 4,669 *immissis ruat hostibus omnis Carthago aut antiqua Tyros.*

***Sabina** v. 404: herbaque turis opes priscis imitata Sabina.
Vergilius cum praebeat Sabini nomen saepius, adiectivo *Sabinus* caret.

Adhibuerunt item ut scriptor Culicis de herba Propertius et Ovidius: Prop. 4,3,58 *et crepat ad veteres herba Sabina focos;* Ov. fast. 1,343 *Tura nec Euphrates, nec miserat India costum, nec fuerant rubri cognita fila croci. Ara dabat fumos herbis contenta Sabinis;* 4,741 *ure mares oleas taedamque herbasque Sabinas;* (cf. Plin. nat. 24,102 *herba Sabina — a multis in suffitus pro ture adsumitur;* Cato agr. 70 *turis grana tria, herbae Sabinae plantas tres);* inveni praeterea apud Martialem (cf. 4,4 *faece Sabina)* et Iuvenalem (cf. 3,85 *baca Sabina).*

Insequentium vocabulorum usus non abhorret a Vergiliano:

saeva v. 219: saeva quatit mihi verbera (Tisiphone);
item Aen. 6,557 *saeva sonare verbera;* georg. 3,252 *verbera saeva.*

saevae v. 377: saevae Poenae;

saevi v. 308: saevi Hectoris ira;
cf. Aen. 2,29 *saevos Achilles;* 3,273 *saevi Ulixi;* 1,4 *saevae Iunonis ob iram. — Saevus Hector* apud Ovidium exstat: met. 13,177 *qui saevum perdere posset Hectora.*

saevis v. 85: saevis hostibus.

sancta v. 20: sancta Pales;
(cf. georg. 3,294 *veneranda Pales);*

sancta v. 83: sancta deum templa;
Vergilius similiter.

---

1) *graius* Tς, sic editores; *gravius* Ω.

2) *troia ruenti* Bembus, quod bonum habet sensum, item editores; *troias venti* Γ, *troia furenti* VSFCL.

sancte v. 26 et 37: sancte puer;
cf. Aen. 5, 80 *sancte parens;* 9, 276 *venerande puer* (Cul. 25 *Octavi venerande).*

sanguineae v. 181: manant sanguineae guttae;
cf. Aen. 12, 340. — Eadem verba quae in Culice habes Ov. met. 2, 360 *sanguineae manant guttae;* cf. 14, 408 *sanguineis maduerunt pabula guttis.*

sanguinei v. 222: sanguinei luminis orbes;
eadem ratione Vergilius.

scelerata v. 112: infandas scelerata manus (Agaue);
cf. Aen. 3, 42 *parce pias scelerare manus.*

scrupea v. 51: scrupea ad cava;
cf. Aen. 6, 238 *spelunca scrupea.*

secunda v. 344: aura secunda;
cf. Aen. 3,683 *ventis secundis;* 4, 562 *zephyros secundos;* 5, 32 *secundi zephyri. — Aura secunda* Ov. Pont. 2, 3, 26; trist. 5, 12, 40; epist. 2, 96.

securam v. 97: securam vitam;

securo v. 160: securo somno;
cf. georg. 2, 467 *secura quies;* 3, 376 *secura otia agunt.*

***seniles** v. 388: quantumcumque sibi vires tribuere seniles.

Aliena est haec vox a Vergilio. Usitata Ovidio potissimum, semel etiam apud Horatium legi:

cf. Hor. ars 176 *ne forte seniles mandentur iuveni partes pueroque viriles;* Ov. am. 1, 9, 4 *turpe senilis amor;* trist. 3, 7, 34 *rugaque in antiqua fronte senilis erit;* Pont. 1, 4, 2 *iamque meos vultus ruga senilis arat;* fast. 5, 58 *inque suo pretio ruga senilis erat;* met. 7, 163 *fessusque senilibus annis;* 250 *ne properent artus anima fraudare senili;* 478 *egreditur tardus gravitate senili Aeacus;* 8, 210 *genae maduere seniles;* 528 *vultus seniles;* 13, 66 *fessusque senilibus annis;* 14, 117 *umbram senilem Anchisae,* 15, 212 *inde senilis hiems tremulo venit horrida passu.*

sequax v. 279: turba ferarum ... sequax;
Vergilius haud aliter.

severos v. 289: nimium manes experta severos;
item Vergilius.

Sigea v. 307: Sigea praeter litora;
cf. Aen. 2, 312 *Sigea freta;* 7, 294 *Sigeis campis.*

simplicibus v. 90: simplicibus curis;
non recedit huius vocabuli usus a Vergiliano.

sollicitis v. 250: sollicitis natis;

sollicitum v. 385: hunc ubi sollicitum dimisit inertia vitae;
cf. Aen. 3, 389; 7, 81; 9, 89.

sonans v. 17: sonans labitur unda;
cf. georg. 2, 163 *sonat unda;* Aen. 11, 562 *sonuere undae.*

sonorae v. 281: silvae sonorae;
cf. Aen. 1, 53; 12, 139; georg. 3, 199 *sonorem dant silvae.*

***sospes** v. 39: tibi sospes memoretur vita.

Deflectit huius vocis significatio a Vergiliana. Cum enim Vergilius proprie posuerit vocabulum de personis (cf. Aen. 8, 470 *maxume Teucrorum ductor, quo sospite numquam* e. q. s.; 11, 56 *sospite nato:* valet idem quod apud nos „wohlbehalten, unverletzt, unversehrt"), is qui carmen fecit notionem translatam ei subiecit nam *sospes vita* idem est quod Germanice „behütet = glücklich, günstig".

Atque inveni hanc vim translatam primum apud Plautum (cf. Poen. 1188 *Iuppiter — quem penes spes vitae sunt hominum omnium, da diem hunc sospitem quaeso),* praeterea apud Horatium (cf. carm. saec. 40 *iussa pars mutare lares et urbem sospite cursu)* et Iuvenalem (13, 178 *manet illa tamen iactura nec unquam depositum tibi sospes erit).*

***Spartica** v. 400: hic est et Spartica[1]) myrtus.

Audacissime scriptum est hoc adiectivum *Sparticus* pro *Spartanus,* quod praebet Vergilius (Aen. 1, 316 *Spartanae virginis).*

Exemplo probare nequeo; est *ἅπαξ εἰρημένον.*

***squalida** v. 333: illum ... squalida Tartara terrent.

Vergilius cum adhibuerit et verbum quod est *squaleo* et substantivum *squalor* (Aen. 6, 299 *terribili squalore Charon),* adiectivum *squalidus* plane omisit[2]).

1) *spartica* FCL, quod rectius esse mihi videtur, quam quod exhibet V *parthica* (cf. Leo, p. 107); *Spartica* editores quoque.

2) Exstat autem Ciris carminis in versu 506: *Crura nova macies obduxit squalida pelle.*

Usurpavit *squalidus* primus Plautus, habent deinde Ennius, Terentius, Accius, Lucretius, Catullus, Ovidius, Seneca, Iuvenalis: cf. Plaut. Truc. 933 *huncine hominem te amplexari tam horridum ac tam squalidum;* Enn. scaen. 330 (Vahlen) *cedo et caveo cum vestitus squalida saeptus stola;* Ter. Eun. 236 *video sentum squalidum aegrum, pannis annisque obsitum;* Acc. trag. 517 *eius serpentis squamae squalido auro et purpura praetextae;* Lucr. 2, 469 *scilicet esse globosa tamen, cum squalida constent;* Catull. 64, 42 *squalida desertis rubigo infertur aratris;* Ov. am. 2, 2, 42 *squalidus orba fide pectora carcer habet;* trist. 1, 3, 90 *squalidus inmissis hirta per ora comis;* 4, 2, 34 *squalida ora;* Pont. 3, 4, 107 *squalidus Rhenus;* fast. 1, 558 *squalidaque humanis ossibus albet humus;* 2, 181 *ursa per incultos errabat squalida montes;* met. 2, 381 *squalidus genitor Phaethontis;* 10, 74 *squalidus in ripa sedit;* 15, 38 *squalidus reus;* Sen. Tro. 883 *depone cultus squalidos, festos cape;* Phaedr. 471 *orbis iacebit squalido turpis situ;* Oed. 2 *et nube maestus squalida exoritur iubar;* 625 *squalidam comam;* Herc. O. 1757 *crinem squalidum;* Iuv. 9, 15 *sed fruticante pilo neglecta et squalida crura.*

squamosi v. 195: squamosi draconis;
item georg. 4, 408 *squamosus draco;* cf. 2, 154 *squameus anguis.*

squamosos v. 167: squamosos torquebat orbes (serpens).

Simillimus est Ovidii metamorphoseon versus 3, 41, ubi ut in Culice dicitur *torquere* serpentem *squamosos orbes: ille volubilibus squamosos nexibus orbes torquet* (cf. Cul. 180). Ceterum totus locus Ovidianus met. 3, 32 sqq. similis est versibus in Culice qui exstant de serpente: cf. Cul. 166 *vibranti lingua* et Ov. 34 *vibrant linguae;* Cul. 169 *corpus revolubile* et Ov. 41 *volubilibus nexibus;* Cul. 171 *crista* et Ov. 32 *cristis;* (cf. met. 4, 599 *cristati colla draconis);* Cul. 173 *aspectuque micat flammarum lumine torvo* et Ov. 33 *igne micant oculi;* (cf. met. 15, 674 *oculos circumtulit igne micantes).*

stratus v. 161: stratus humi;
similiter Vergilius. — cf. Aen. 9, 754 *artus sternit humi;* 10, 697 *Hebrum sternit humi.*

Strymonii v. 328: Strymonii Rhesi;
cf. georg. 1, 120; Aen. 10, 265; 11, 580.

Stygias v. 240: Stygias aquas;
item Aen. 6, 374 *Stygias aquas;* cf. 3, 215 *Stygiis undis;* 6, 385 et 12, 91 *Stygia unda;* 7, 773 *Stygias undas.*

sublimi v. 171: sublimi cervice;
cf. Aen. 9, 682 *sublimi vertice.*

succincta v. 331: Scylla rapax, canibus succincta Molossis; simillimus est eclogarum versus 6, 75 *candida succinctam (Scyllam) latrantibus inguina monstris;* poetarum alter imitatus est alterum.

superne adv. v. 171: crista superne edita;
superne adv. v. 350: superne corripere;
cf. Aen. 6, 658.

surgens v. 402: laurus surgens[1]);
cf. georg. 2, 182 *surgens oleaster.*

suspensa v. 54: suspensa cacumina;
cf. ecl. 2, 66; georg. 1, 175; Aen. 8, 190.

susurrantis v. 105: susurrantis lymphae;
susurrantis v. 156: susurrantis venti;
cf. georg. 4, 260.

taetris v. 214: ereptus taetris e cladibus;
haud secus Vergilius.

***Tantaleae** v. 334: hic et Tantaleae[2]) generamen prolis[3]) Atrides[4]) assidet.

Adiectivum *Tantaleus* apud Vergilium non reperitur. Admisit Propertius: cf. 2, 17, 5 *vel tu Tantalea moveare ad flumina sorte;* 4, 11, 24 *fallax Tantaleo corripere ore liquor.*

tardus v. 198: quod erat tardus;
Vergilius non aliter.

***Telamonia** v. 297: Telamonia virtus.

Posita est *Telamonia virtus* pro forti Telamone. Birtius iam monuit („de hal. Ov.“ p. 47) ita virtutem non stare apud Maronem. Adiectivum quod est *Telamonius* Vergilio omnino ignotum (cf. Cul. 315 *Telamonius heros).*

---

1) *surgens Ω, urgens* Vollmer.
2) *tantale(a)e* ΓFL, *tantale* S, *tantalalee* V, *tantialeae* C.
3) *generamen prolis* ΓV, *gener amplis* SFCL.
4) *atrides* Helmstad. ς, *atrid(a)e Ω, atrida* ς.

teneras v. 56: teneras sentes;
cf. ecl. 10, 7 *tenera attondent virgulta capellae.*

teneris v. 129: teneris truncis;
cf. ecl. 10, 53 *teneris arboribus;* Ov. met. 2, 359 *teneros ramos.*

***tenero** v. 50: tondebant tenero morsu gramina (capellae). Exemplo comprobare non possum hoc *tenero morsu,* quod plane alienum esse a Vergilio Förster iam vidit (l. c. p. 10).

tenero v. 69: tenero gramine;
cf. georg. 2, 372. — Ov. am. 3, 10, 10 *teneri caespitis.*

tentis v. 130: tentis ramis;
cf. georg. 2, 296 *late ramos et bracchia tendens*[1]) *(aesculus),* 3, 333 *quercus ingentis tendat ramos.*

***Teucria** v. 306: Teucria tellus.
Vergilius cum habeat et Teucrorum nomen persaepe et adiectivum *Teucrus* (cf. Aen. 2, 747) et *Teucriam* (i. e. Troiam, Aen. 2, 26), adiectivo *Teucrius* non utitur.
Occurrit *Teucrius* apud Sil. Italicum: 13, 36 *Teucria Pergama.*

Tmolia v. 75: Tmolia coma;
cf. Verg. georg. 2, 98 *Tmolius adsurgit quibus:* subst.; adi.: Ov. Pont. 4, 15, 9 *Tmolia terra.*

tolerabilibus v. 379: tolerabilibus[2]) curis;
cf. Aen. 5, 768.

torva v. 189: torva lumina;
torvo v. 173: aspectu torvo;
cf. Aen. 3, 677 *lumine torvo;* 7, 415 *torvam faciem.*

tranandus v. 260: Elysiam tranandus agor delatus ad undam; cf. Aen. 6, 671; georg. 3, 270. — De forma participii satis accurate iam egit Leo p. 80 sq.; cf. etiam Neue-Wagener, „Formenlehre der lat. Sprache“, vol. III, p. 128.

triste v. 27: bellum triste;
tristia v. 81: tristia bella;
cf. ecl. 6, 7 *tristia condere bella;* Aen. 7, 325 *tristia bella;* 545 et 8, 29 *tristi bello.*

---

1) sic traditum, quod retinendum (cf. georg. 3, 333); Ribbeck *pandens.*
2) *tolerabilibus* ΓFCE, *tolerabilius* VL.

tristes v. 233: tristes poenae;
similiter Vergilius. — cf. Ov. trist. 2, 494 *tristis poena.*

tristis v. 246: tristis Erinys;
item Aen. 2, 337 *tristis Erinys;* cf. Ov. epist. 6, 45 *at mihi nec Iuno, nec Hymen, sed tristis Erinys praetulit infaustas sanguinolenta faces.*

***truculenta** v. 255: iam truculenta ferunt infestaque lumina corpus alter in alterius.

Hoc vocabulum frustra quaeres apud Vergilium, qui pro *truculentus* utitur *trux* (cf. Aen. 10, 447 *miratus stupet in Turno corpusque per ingens lumina volvit obitque truci procul omnia visu:* similiter ut in Culice; georg. 1, 370 *Boreae trucis).*

Legi *truculentus* primum apud Plautum et Terentium, exhibent praeterea Catullus, Horatius, Ovidius, Seneca:

Plaut. Asin. 401 *oculis truculentis;* Bacch. 763 *truculento mi atque saevo usus senest;* Ter. Ad. 866 *ego ille agrestis saevos tristis parcus truculentus tenax duxi uxorem;* Catull. 64, 179 *a, gurgite lato discernens ponti truculentum ubi dividit aequor?;* 63, 16 *rabidum salum tulistis truculentaque pelage;* Hor. sat. 1, 3, 51 *at est truculentior atque plus aequo liber;* Ov. Pont. 2, 7, 31 *nulla Getis toto gens est truculentior orbe;* met. 13, 558 *spectat truculenta loquentem falsaque iurantem, tumidaque exaestuat ira;* 803 *asperior tribulis, foeta truculentior ursa;* epist. 11, 9 *ut ferus est multoque suis truculentior curis;* Sen. Phaedr. 461 *truculentus et silvester ac vitae inscius tristem iuventam Venere deserta coles.*

umbrosae v. 141: umbrosae fagus;
cf. ecl. 2, 3 *tantum inter densas umbrosa cacumina fagos adsidue veniebat*; georg. 2, 66 *arbos umbrosa.*

***vaecordem** v. 249: impietate fera vaecordem[1]) Colchida[2]) matrem.

Vocem quae est *vaecors* vel *vecors* non admisit Vergilius, sed apud alios quoque poetas raro invenitur; solutae potissimum orationis est proprium (Cic., Liv., Tac.).

---

1) sic recte Vς; *tu cordam* Ω, sensu caret.
2) *colchida* V Helmstad. ς, *conduda* Γ, *conchida* SCL.

Vidi primum apud Horatium (cf. sat. 2, 5, 74 *scribet mala carmina vecors),* deinde apud Ovidium (cf. met. 5, 291 *seque iacit vecors e summae culmine turris;* Ib. 341 *mens quoque sic Furiis vecors agitetur, ut illi;* substantivum *vecordia* habes met. 12, 227 *quae te vecordia, Euryte, pulsat).*

***vagus** v. 23: te cultrice vagus saltus feror inter et antra[1]);

***vagae** v. 48: iam silvis dumisque vagae (capellae), iam vallibus abdunt corpora;

***vagae** v. 104: vagae capellae;

***vagis** v. 311: vagis alumnis[2]);

***vaga** v. 356: vaga praeda.

Verbum quod est *vagari* praebet Vergilius, adiectivum autem *vagus* plane vitavit.

Scripserunt Catullus, Tibullus, Propertius, Horatius, Ovidius, Manilius, Statius, Martialis:

proprie: Catull. 63, 13 *vaga pecora;* Tib. 1, 3, 40 *vagus navita,* 2, 6, 3 *vaga aequora;* Hor. carm. 4, 4, 2 *vagas aves;* 3, 27, 16 *vaga cornix;* 3, 3, 9 *vagus Hercules;* 3, 13, 12 *vago pecori;* ars 117 *vagus mercator;* sat. 2, 4, 77 *vagos pisces;* al.; Ov. met. 2, 673 *vagi crines per colla iacebant;* 14, 340 *volucres vagas;* ars 1, 516 *nec vagus in laxa pes tibi pelle natet;* 3, 418 *saepe vagos ultra limina ferte pedes;* met. 1, 596 *vaga fulmina;* 8, 197 *vaga aura;* et saepius; Mart. 7, 39 *discursus varios vagumque mane;*

translate: Catull. 63, 4 *stimulatus ibi furenti rabie, vagus animis;* Prop. 1, 5, 7 *non est illa vagis similis collata puellis;* Hor. ars 398 *concubitu prohibere vago, dare iura maritis;* Ov. am. 2, 9, 53 *accedant regno, nimium vaga turba, puellae;* met. 13, 221 *vaga turba;* et saepius; Manil. 1, 557 *nec mirere vagos partus eadem esse per astra;* 2, 22 *arbusta vagis essent quod adultera pomis;* Stat. silv. 4, 6, 1 *forte remittentem curas Phoeboque levatum pectora, cum patulis tererem vagus otia saeptis;* Mart. 2, 90, 1 *Quintiliane, vagae moderator summe iuventae;* 6, 21 *saepe ego lascivum Martem furibunda cecidi, legitimos esset cum vagus ante toros.*

---

1) *antra* Heyne, *astra Ω.*

2) *alumnis* ΓVS, *alumnus* CL.

vagantes v. 49: omni celeres e parte vagantes (capellae); cf. georg. 3, 540.

***valens** v. 277: fortuna valens audacem fecerat ante.

Huius participii usus abhorret a Vergiliano. Posuit enim Vergilius *valens* propria notione (cf. Aen. 5, 431 *hic membris ac mole valens;* georg. 2, 70 *malos valentes;* 426 *truncos valentis),* cum in Culice exstet translata *(fortuna valens;* ceterum *ante* ad *valens* referendum, cf. Birt, de halieut. p. 63).

Atque inveni vim translatam, quae imprimis pedestris propria esse videtur orationis (Cic., Plin.), apud Ovidium tantum: cf. trist. 1, 8, 29 *quid, nisi convictu causisque valentibus essem temporis et longi vinctus amore tibi?;* met. 5, 174 *non tamen ad letum causas satis illa valentes plaga dedit;* Pont. 1, 10, 35 *unda locusque nocent et causa valentior istis, anxietas animi, quae mihi semper adest;* ars 1, 466 *saepe valens odii littera causa fuit.*

validae v. 82: validae classis;
cf. Aen. 1, 120 *validam navem.*

validum v. 192: validum truncum;
cf. georg. 2,367 *validis stirpibus;* Aen. 4, 441.

vanas v. 226: vanas vices;
simili ratione Vergilius.

variantibus v. 88: floribus variantibus;
intransitive, item Verg. Aen. 12, 223.

vastum v. 374: vastum Phlegethonta;
Vergilius eodem modo saepius.

venerande v. 25: Octavi venerande;
cf. Aen. 9, 276 *venerande puer* (Cul. 26 *sancte puer);* georg. 3, 294 *veneranda Pales.*

ventura v. 20: ventura bona;
haud aliter Vergilius; cf. Aen. 3, 158.

***vernantia** v. 410: quoscumque novant vernantia tempora flores.

Vernandi verbum iterum omisit Vergilius. Legitur post Propertium primum apud Ovidium, praeterea apud Senecam et Martialem:

proprie: Ov. met. 7, 284 *vernat humus, floresque et mollia pabula surgunt;* trist. 3, 12, 8 *indocilique loquax gutture vernat avis;* Sen. Herc. O. 380 *silvas vernantes;* Mart. 9, 54 *arguto passere vernat ager;*

translate: Prop. 4, 5, 59 *dum vernat sanguis, dum rugis integer annus;* Mart. 2, 61 *cum tibi vernarent dubia lanugine malae.*

vibranti v. 166: vibranti lingua;

item de serpentibus Aen. 2, 211 *linguis vibrantibus.*

***viduos** v. 373: ego Ditis opacos cogor adire lacus, viduos, a, lumine Phoebi.

Vergilio cum notum sit et verbum, quod est *viduo* (cf. Aen. 8, 571 *tam multis viduasset civibus urbem)* et part. perf. pass. *viduatus* (cf. georg. 4, 518 *arvaque Riphaeis numquam viduata pruinis),* adiectivum *viduus* ei ignotum.

Usurpavit primus Plautus, habent praeterea Catullus, Propertius, Horatius, Ovidius, Seneca, Sil. Italicus, Statius, Martialis, Iuvenalis:

propria notione: Plaut. Stich. 2 *credo ego miseram Penelopam fuisse, quae tam diu vidua viro suo caruit;* Merc. 829 *plures viri sint vidui quam nunc mulieres;* Cist. 44 *numquam ego hanc viduam cubare sivi;* Prop. 2, 9, 16 *Scyria nec viduo Deidamia toro;* Hor. epist. 1, 1, 78 *sunt qui crustis et pomis viduas venentur avaras;* Ov. am. 2, 10, 17 *hostibus eveniat viduo dormire cubili;* 3, 10, 18 *nec viduum pectus amoris habet;* ars 1, 102 *cum iuvit viduos rapta Sabina viros;* epist. 8, 86 *abducta viduum coniuge flere virum;* 18, 69 *cur ego tot viduas exegi frigida noctes?;* fast. 1, 36 *sustinet in vidua tristia signa domo;* et saepius; Sen. Herc. f. 246 *caelibis semper tori regina gentis vidua Thermodontiae;* 542 *viduis gentibus;* Med. 215; Ag. 156 *decem per annos vidua respiciam virum?;* Sil. 2, 247 *viduus teli et frustrato proditus ictu;* Stat. Theb. 2, 543 *super laevos umeros vicina cruori effugit et viduo iugulum ferit irrita ligno;* 10, 183 *vidui clavi;* Mart. 7, 73 *viduae Cybeles;*

translata: Catull. 62, 49 *ut vidua in nudo vitis quae nascitur arvo numquam se extollit, numquam mitem educat uvam;* Hor. carm. 4, 5, 30 *et vitem viduas ducit ad arbores;* Mart. 3, 58, 3

vidua platano; Iuv. 8, 78 *stratus humi palmes viduas desiderat ulmos.*

vinctus v. 234: vinctus[1]) serpentibus Otos;
cf. Aen. 1, 295.

virens v. 407: bumastus virens;
cf. Aen. 6, 206.

virenti v. 109: luco virenti;
virentes v. 22: silvas virentes;
cf. ecl. 7, 59 *nemus omne virebit;* georg. 2, 21 *genus omne silvarum fruticumque viret nemorumque sacrorum.*

viridantia v. 50: viridantia gramina;
similiter Aen. 5, 388 *viridante toro herbae;* cf. v. 539 *viridanti lauro;* 7, 495 *ripa viridante.*

Quae sequitur vox *viridis* apud Vergilium persaepe invenitur eadem qua in Culice ratione scripta:

viridem v. 106: subter viridem muscum;
viridi v. 74: viridi cum palmite;
viridi v. 115: viridi in herba;
cf. ecl. 6, 59 *herba viridi;* georg. 3, 162 *viridis per herbas;* Aen. 5, 330 *viridis herbas.*

viridi v. 144: viridi pallore;
(Cir. 225 *viridis pallor);* cf. Ov. met. 10, 137 *viridem colorem.*

viridi v. 280 viridi humo;
cf. Ov. am. 3, 5, 22 *in viridi humo;* fast. 6, 330 *viridem humum.*

viridi v. 390: viridi sub fronde;
cf. ecl. 1, 80 *fronde super viridi.*

viridi v. 393: viridi de caespite;
item Aen. 3, 304 *viridi caespite.*

viridis v. 382: viridis silvas;
cf. Aen. 8,96 *viridis silvas;* 3,24 *viridem silvam.*

volucres v. 253: volucres in auras;
sumpsit *volucres auras* poeta ex Vergilio: cf. Aen. 5, 503 *volucris auras;* 11, 795 *volucris in auras.*

volvens v. 169: corpus revolubile volvens;
similiter Vergilius persaepe; cf. Aen. 8, 539 *corpora volves.*

---

1) *vinctus* Ald. 1517, quod receperunt editores; *victus* Ω.

volvens v. 163: volvens serpens;

volventia v. 195: volventia membra;
intransitive, item Vergilius: cf. georg. 1, 163 *volventia plaustra;* Aen. 1, 234 *volventibus annis.*

Vulcania v. 320: Vulcania vulnera;
cf. Aen. 8,535 et 12,739 *Volcania arma;* 10,408 *acies Volcania.*

***Zanclaea** v. 332: illum Zanclaea Charybdis pallentesque lacus et squalida Tartara terrent.

Zanclaea Charybdis scribendum esse cum Vossiano Schraderus iam monuit, receperunt Leo, Ribbeck, Ellis; Vollmer cum *Ω metuenda.*

Prompsit sibi *Zanclaeam Charybdim* scriptor Culicis ex Ovidio: cf. fast. 4,499 *effugit et Syrtes et te, Zanclaea Charybdis, et vos, Nisaei, naufraga monstra, canes;* trist. 5,2, 73 *hinc ego dum muter, vel me Zanclaea Charybdis devoret atque suis ad Styga mittat aquis.* — cf. met. 14,47 *Zancleia saxa.*

Haec habui quae dicerem de participiis et de adiectivis. Proposueram mihi, ut de adverbiis quoque et de substantivis, e quibus permulta sane cognosci possunt, accuratius agerem. Sed iam finem facere cogor perscrutandi diligentius; longum est haec omnia nunc tractare. Tamen pauca eligam exempla:

***leniter** adv. v. 155: quos[1]) (sc. dumos) leniter[2]) adflans aura ... poscit confundere venti.

Adiectivo quod est *lenis* similiter usus est Vergilius (cf. Aen. 3,70 *lenis auster;* 6,209 *leni vento;* georg. 3,199 *lenibus flabris*), adverbium autem *leniter* vitavit.

Leniter solutae potissimum orationis scriptores adhibuerunt (Cic., Plin., al.), poetarum exhibet primus Plautus, legi deinde apud Tibullum (1, 7, 13; 2, 1, 80), Horatium, Ovidium[3]):

proprie: Ov. fast. 3,373 *scutum versatum leniter aura;* am. 1,6, 7 *per excubias custodum leniter ire;* met. 3,568 *torrentem ... lenius ... decurrere vidi;*

---

1) *quos* Exc., sic editores; *qu(a)e Ω.*

2) *leniter* Exc. ΓF, item editores, sane recte; *leviter* VCL.

3) cf. H. Priess, usum adverbii quatenus fugerint poetae Latini quidam dactylici, p. 25.

translate: Plaut. Stich. 78 *an potius temptem leniter, quam minaciter;* Bacch. 408 *leniter qui saeviunt sapiunt magis;* Hor. epist. 1,18,97 *traducere leniter aevum;* Ov. epist. 5,7 *leniter, ex merito quicquid patiare, ferendum est.*

***posterius** v. 8: posterius graviore sono tibi musa loquetur;

***posterius** v. 114: posterius poenam nati de morte datura[1]);

***posterius** v. 131: posterius cui Demophoon aeterna reliquit mala.

Ne hoc quidem adverbium praebet Vergilius, cum is, qui carmen fecit, ter posuerit; scripsit pro adverbio *post,* quod habet saepius Vergilius.

Usitatum est *posterius* imprimis Lucretio (cf. 2,182; 5,155 *quae tibi posterius largo sermone probabo;* 5,995; 1113; 1258; 1286; 6,827; 1201); vidi praeterea apud Plautum (cf. Epid. 261 *vos priores esse oportet, nos posterius dicere;* Asin. 63 *posterius istuc dicis quam credo tibi*), Terentium (Ad. 140; 162), Manilium (2,750).

***quantumcumque** v. 388: quantumcumque sibi vires tribuere seniles, . . . conformare locum capit.

Non admisit hoc vocabulum Vergilius, qui pro *quantumcumque* adverbium usurpat *quantum.*

Inveni *quantumcumque* nullo loco nisi Ovidii tristium in versu 1,6,35 *quantumcumque tamen praeconia nostra valebunt, carminibus vives tempus in omne meis.* Finxisse videtur hanc vocem Ovidius indeque sumpsisse scriptor Culicis.

***acumina** v. 184: mortem vitare monet per acumina.

Positum est in Culice substantivum *acumen* pro voce *spiculum,* quam exhibet Vergilius (cf. georg. 4,74 et 237: de apibus); *acumen* apud Vergilium non exstat[2]).

Prosae potissimum orationis est proprium *acumen* (Cic., Sen., Quint., al.), tamen poetarum habent nonnulli, imprimis Ovidius:

proprie: Enn. ann. 363 *ferri stridit acumen;* Cic. Arat. 430 *scorpios infestum praeportans flebile acumen;* Lucr. 4,431

---

1) *nati de morte datura* Ald. 1534; *natis ae Γ, nati se* VL, *natis est* C; *futurum Γ*VW, *futuram* CL.

2) cf. autem Moret. 77.

obscurum coni acumen; 6,1193 *nasi primoris acumen tenue,* Ov. met. 12,84 *nil tamen emissi profecit acumine ferri;* 3,84 *vulnera dat ferro, figitque in acumine dentes;* fast 4,163 *metuendus acumine caudae scorpios;* met. 4,580 *tereti tenuantur acumine crura;* 2,376 *sine acumine rostrum;* 14,503 *ora . . . cornu indurata rigent finemque in acumine ponunt;* 11,72; ars 3,629 *fallet (littera) umiduli quae fiet acumine lini;* met. 12,337 *ancipiti (-tis* al.) *acumine montis;* 13,778 *cuneatus acumine longo collis;* Germ. frg. 3,42 *scorpios at primae qua tollit acumina caudae;* Manil. 4,568 *caudae capricornus acumine summo;*

translate: Hor. epist. 1,12, 20 *Stertinium acumen;* ars 364 *iudicis argutum acumen;* epist. 2,1, 161 *serus . . . Graecis admovit acumina chartis;* 1,17, 55 *meretricis acumina;* Ov. epist. 20,210 *acumen habes;* Manil. 4,241 *tribuit . . . acumina cordi;* Iuv. 4,102 *priscum miratur acumen.*

***effigies** v. 208: effigies ad eum culicis devenit.

Huius vocabuli usus magnopere deflectit a Vergiliano. Sonat enim apud Vergilium *effigies* idem, quod Germanice „Bild Abbild, Ebenbild, Bildwerk" (cf. ecl. 8,75 *terque haec altaria circum effigiem duco;* Aen. 2,167 *corripuere sacram effigiem;* 184 *effigiem statuere;* 3,148 *effigies sacrae divom;* 497 *effigiem Xanthi;* 4,508 *effigiemque toro locat;* 7,177 *veterum effigies avorum;* 443 *divom effigies*), cum in Culice idem sit quod lingua vernacula „Schatten, Schattenbild eines Verstorbenen", quae vis apud Vergilium non reperitur, nam hic talibus locis pro *effigies* dicit *umbra* (cf. georg. 4,472; 501; Aen. 1,547; 3,638; 4,571; 5,734; 6,294; 578; 7,770; 11,831; 12,952; et saepius), vel *imago* (cf. Aen. 1,353; 2,773; 793; 4,654; 5, 636; 6,695; 701), vel *facies* (Aen. 5,722), vel *corpus* (Aen. 6,303; 306)[1]).

Quem praebet scriptor Culicis verbi significatum primum legi apud Ovidium, unde prompsisse sibi videtur: cf. met. 14,358 *dixit, et effigiem, nullo cum corpore, falsi finxit apri, praeterque oculos transcurrere regis iussit;* vide praeterea Sil. 13,778 *Elysio tendentem limite cernens effigiem iuvenis.*

***epops** v. 253: quo Bistonius rex orbus, epops, maeret.

---

1) cf. Förster, l. l. p. 11.

Vocem quae est *epops* frustra quaeres apud Maronem. Occurrit nullo loco nisi Ovidii metamorphoseon in versu 6, 674, ubi, ut in Culice, utitur Ovidius de Tereo in upupam converso: *nomen Epops volucri.* Fluxisse ex Ovidio in Culicem mihi persuasum.

***heroidas** v. 261: comites heroidas urguet.

Herois a Vergilio aliena, invenitur autem apud Ovidium: cf. am. 2, 4, 33 *tu, quia tam longa es, veteres heroidas aequas;* ars 1, 713 *Iuppiter ad veteres supplex heroidas ibat;* trist. 1, 6, 33 *prima locum sanctas heroidas inter haberes;* 5, 5, 43 *edidit haec mores illis heroisin aequos;* (vide etiam Catalepton 9, 21; Prop. 2, 28, 29[1]); Stat. silv. 5, 1, 255).

***notitiae** v. 5: notitiaeque ducum voces (consonent per ludum).

Ne hoc quidem vocabulum apud Vergilium exstat. Poetarum adhibuisse videtur post Lucretium (cf. 5, 124 *notitiam praebere*) nemo nisi Ovidius, unde sumpsisse puto Culicis scriptorem: Pont. 1, 7, 8 *huius notitiam gentis habere velint;* 2, 10, 5 *an tibi notitiam mora temporis eripit horum;* 3, 1, 50 *et plus notitiae, quam fuit ante, dedit;* 4, 6, 42 *hoc ego praecipue sensi, cum magna meorum notitiam pars est infitiata mei;* 8, 48 *virtus . . . notitiam serae posteritatis habet;* epist. 9, 19 *quid nisi notitia est misero quaesita pudori, si cumulas stupri facta priora nota?* ars 1, 398 *bene si celabitur index, notitiae suberit semper amica tuae;* met. 4, 59 *notitiam primosque gradus vicinia fecit;* 7, 57 *notitiam loci melioris;* trist. 1, 9, 52 *hac divinavi notitiamque tuli;* 2, 214 *et sunt notitia multa minora tua?*

***Nyctelium** v. 111: Nyctelium fugiens Cadmeis Agaue.

Nyctelio Bacchi cognomine Vergilius rursus caret. Habes autem apud Ovidium: met. 4, 15 *Nyctelius que Eleleusque parens et Iacchus et Euhan;* ars 1, 567 *Nycteliumque patrem nocturnaque sacra precare;* cf. Sen. Oed. 492; Val. Fl. 6, 755.

***Pallade** v. 329: iam Strymonii Rhesi victorque Dolonis, Pallade iam laetatur ovans (proles Laertia).

---

1) cf. Th. Birt, Jugendverse und Heimatpoesie Vergils, p. 102; H. Hollstein, de Monobibli Properti sermone, Diss. Marp. a. 1911, p. 53 sq.

Audacissime scriptum est hoc loco Culicis deae nomen *Pallade* pro *Palladio,* quod exhibet Vergilius (Aen. 2, 166; 183).

Hic usus quin fluxerit in Culicem Ovidii metamorphoseon e versu 13, 99, qui versus simillimus est Culicis loco, non dubito: *conferat his ‚Ithacus Rhesum' imbellemque ‚Dolona' Priamidenque Helenum rapta cum ‚Pallade' captum;* cf. fast. 6, 424 *Pallada Roma tenet;* trist. 3, 1, 29 *hic locus est Vestae, qui Pallada servat et ignem.*

***respectus** v. 228: sine respectu mea fata relinquens;

***respectus** v. 269: poenaque respectus et nunc manet, Orpheus, in te?

Substantivum quod est *respectus* imprimis solutae posuerunt orationis scriptores (Cic., Liv., Sen., al.); et Vergilio omnino ignotum est, et apud alios poetas perraro legitur.

Inveni primum apud Ovidium (cf. trist. 1, 3, 100 *et voluisse mori, moriendo ponere sensus respectuque tamen non voluisse mei;* Pont. 4, 9, 100 *illi me, quia velle vident, discedere malunt: respectu cupiunt hic tamen esse sui),* praeterea apud Phaedrum (cf. 5, 4 *huius respectu fabulae deterritus periculosum semper vitavi lucrum)* et Martialem (cf. 8, 18 *sed tibi tantus inest veteris respectus amici, carior ut mea sit quam tua fama tibi).*

Sed haec satis.

Conclusio.

Si nunc ad quaestionem ipsam me vertam, qua scrutemur, quis scriptor sit Culicis quoque tempore poeta carmen composuerit, paucis contrahere mihi liceat, quae ad sermonem Culicis describendum collegi brevique in conspectu ponere, quae principalia esse in argumentis meis puto.

Primum verba quae exstant in Culice comparavi cum Vergilio. In his XXII inveniuntur, quae omnino aliena sunt a Vergilio; sunt quidem haec:

aversatur 256, *comparat* 178, *comparat* 205, *conformare* 391, *cubuere* 154, *causam dicere* 376, *dubium sit* 194, *existat* 231, *immoritur* 354, *iniunxit* 299, *inscendere* 236, *letat* 325, *obcaecaverat* 199, *obstrepit* 150, *praepandit* 16, *propulit* 45, *prosternit* 69, *prostravit* 336, *refovebat* 122, *refoves* 213, *transcendat* 84, *tribuere* 388.

Alia autem verba etsi Vergilius posuit tamen aliter eis usus est atque scriptor Culicis; haec sunt LXI, e quibus XLVI magnum praebent discrimen inter Vergilii et Culicis scriptoris elocutionem intercedens:

abiere 226, *adlabere* 25, *appetit* 139, *aspexit* 109, *capit* 391, *certet* 37, *consonet* 4, *dare* 205, *derigit* 91, *destinat* 392, *devenit* 208, *digressa est* 223, *evectus erat* 107, *excedunt* 143, *excessit* 189, *haerebant* 51, *imminet* 57, *imminet* 90, *inquit* 210, *inseritur* 411, *intravit* 206, *ite* 18, *lacerant* 61, *laetantur* 298, *liget* 93, *manaret* 306, *manat* 257, *manet* 66, *manet* 269, *metabat* 174, *micant* 222, *minatur* 351, *oppositus erat* 315, *penetrabat* 42, *poliantur* 10, *poscit* 156, *quatiebat* 43, *rapuit* 300, *repetebant* 105,

suspicit 360, *terreor* 239, *transnare* 215, *urguet* 261, *vacat* 263, *vincit* 244, *vindicat* 276;

XV autem non tam magnam exhibent differentiam quin fortasse defendi possit:

abegit 125, *adsidet* 301, *adsidet* 335, *conterret* 183, *cumulavit* 395, *decorat* 138, *detraxit* 192, *foderet* 393, *infringere* 177, *laetatus erat* 322, *maculatur* 172, *manant* 181, *plangat* 142, *recubare* 175, *restitui* 224.

Eadem est ratio in participiis et adiectivis, sed etiam ad probandum efficacior. Vergilio plane ignota sunt LXVII vocabula:

Attalicis 63, *aureolos* 144, *aversatus* 256, *Bistonius* 252, *Cadmeo* 254, *Centaureos* 29, *Chimaereo* 14, *Cilici* 401, *Cimmerios* 232, *Colchida* 249, *compos* 191, *conchea* 68, *conscelerata* 375, *Cupidineo* 409, *discordantes* 254, *dissitus* 188, *distincta* 71, *ditata* 343, *Doris* 336, *Erebois* 202, *Ericthonias* 30, *Ericthonias* 336, *Ericthoniae* 344, *excelsi* 46, *excelsis* 155, *exorabile* 288, *florida* 70, *florida* 407, *gemmantis* 70, *Giganteo* 28, *inevectus* 101, *inevectus* 341, *inviolata* 263, *lamentandi* 132, *lurida* 47, *Molossis* 331, *nectareas* 241, *obtritum* 188, *Pandionias* 251, *pariles* 229, *pariles* 358, *pendula* 52, *Pierii* 18, *pollentem* 74, *pudibunda* 399, *recinente* 13, *recinente* 72, *regementem* 386, *remorantem* 119, *revolubile* 169, *Sabina* 404, *seniles* 388, *Spartica* 400, *squalida* 333, *Tantaleae* 334, *Telamonia* 297, *Teucria* 306, *truculenta* 255, *vaecordem* 249, *vagus* 23, *vagae* 48, *vagae* 104, *vagis* 311, *vaga* 356, *vernantia* 410, *viduos* 373, *Zanclaea Charybdis* 332.

Porro viginti trium usus magnopere discrepat a Vergiliano:

anxia 349, *anxia* 353, *anxius* 159, *anxius* 237, *arenti* 242, *data* 63, *devinctum* 235, *duplicantibus* 204, *fecunda* 77, *gracili* 1, *lacrimante* 314, *magno* 306, *manantia* 78, *menstrua* 284, *obiturus* 338, *placabile* 271, *regente* 335, *remota* 73, *remoto* 198, *rorantes* 76, *sospes* 39, *tenero* 50, *valens* 277.

Unius denique paulum differt: *maculatus* 164.

Multi viri docti antea iam dixerunt Culicis sermonem diversum esse a Vergiliano, sed quae protulerunt non satisfaciebant. Spero me hoc in opusculo non paucis novis argumentis firmasse hanc sententiam. Plane recedit Culicis scriptoris

elocutio a Vergiliana. Si autem tanta differentia intercedit inter Vergilium et Culicem, omnino fieri non potest, ut Vergilius Culicem composuerit, ne puer quidem. Mirari quidem licet poetas Romanos Lucanum, Statium, Martialem falso nomine deceptos vindicasse carmen Vergilio; critica non fuerunt illa ingenia.

Sed unde proveniunt multae illae similitudines inter Vergilium et Culicis scriptorem quae intercedunt, quas adeo permultas esse ex opere meo facile cognosces? Compilavit is, qui carmen fecit, Vergilium, nam Vergilium transscripsisse Culicem vix quisquam putarit. Tam manifesta est haec eclogarum georgicorum Aeneidis imitatio, ut casui vix tribui possit; consilio interpolavit scriptor Culicis Vergilium.

Hoc igitur certo constat: Culex a Vergilio scriptus non est, immo suppositus Vergilio.

Ne forte credas in eis quae non percensui Culicis vocabulis aliter rem se habere nonnulla ex adverbiis et e substantivis elegi exempla.

Quinque attuli adverbia, quae Vergilius non admisit: *leniter* 155, *posterius* 8, *posterius* 114, *posterius* 131, *quantumcumque* 388.

Item e substantivis septem, quae apud Vergilium non leguntur: *acumina* 184, *epops* 253, *heroidas* 261, *notitiae* 5, *Nyctelium* 111, *respectus* 228, *respectus* 269.

Duo, quorum usus deflectit a Vergiliano: *effigies* 208, *Pallade* 329.

Non difficile est hunc numerum aliis augere exemplis, permulta insuper exstant in Culice vocabula, quae discrimen praebent inter Vergilii et Culicis dicendi genus gravissimum; differt haud raro etiam ratio syntactica. Sed accuratius de his alio loco alioque tempore disputabitur.

Quibus absolutis ad tempus Culicis definiendum accedere possumus. Qui accurate perlegerit quae composui, statim cognoscet vocabulorum quae apud Vergilium non occurrunt vel quae discrimen exhibent plurima, ut dixi, inveniri apud Ovidium. Quod ut magis perspicuum sit facere iterum conspectum necesse est:

A. Vocabula, quibus caret Vergilius:

1. quae praeter Culicem nemo habet nisi Ovidius
    a) verba: *comparat* 205, *letat* 325;
    b) part. et adi.: *Zanclaea Charybdis* 332;

formavit has voces Ovidius indeque — nam haec unica ratio est concludendi — prompsit sibi scriptor Culicis;

2. quae primus exhibet Ovidius:
    a) verba: *immoritur* 354, *refovebat* 122, *refoves* 213;
    b) part. et adi.: *Cimmerios* 232, *Cupidineo* 409, *distinctus* 71, *excelsi* 46, *excelsis* 155, *nectareas* 241, *Pandionias* 251;

haec quoque ex Ovidio in Culicem fluxerunt;

3. quae, quamquam non primus habet Ovidius, tamen sumpsisse Culicis scriptorem ex Ovidio mihi persuasum est:
    a) verba: *aversatur* 256, *dubium sit* 194, *existat* 231, *prosternit* 69, *prostravit* 336;
    b) part. et adi.: *aversatus* 256, *Cilici* 401, *(conscelerare* 375), *(distinguo* 71), *exorabile* 288, *florida* 70, *florida* 407, *gemmantis* 70, *Giganteo* 28, *pariles* 229, *pariles* 358, *pendula* 52, *pollentem* 74, *pudibunda* 399, *remorantem* 119, *revolubile* 169, *Sabina* 404, *seniles* 388, *squalida* 333, *vaecordem* 249, *vernantia* 410;
4. quae etsi alii scriptores adhibuerunt tamen Ovidius usurpavit potissimum:
    a) verbum: *tribuere* 388;
    b) part. et adi.: *Bistonius* 252, *lurida* 47, *Pierii* 18, *truculenta* 255;
5. quae praeter Ovidium alii quoque scripserunt poetae:
    a) verba: *comparat* 178, *cubuere* 154, *obstrepit* 150, *propulit* 45;
    b) part. et adi.: *compos* 191, *ditata* 343, *Molossis* 331, *vagus* 23, *vagae* 48, *vagae* 104, *vagis* 311, *vaga* 356, *viduos* 373.

B. Vocabula Vergiliana, quorum tamen usurpationis ratio abhorret a Vergiliana:

1. quae nemo sic exhibet nisi Ovidius
   a) verba: *dare* 205, *derigit* 91, *(detraxit* 192), *(foderet* 393), *penetrabat* 42;
   b) part. et adi.: *lacrimante* 314, *valens* 277;
2. quae primus Ovidius:
   a) verba: *abiere* 226, *(evectus erat* 107), *excessit* 189, *imminet* 90, *poliantur* 10, *rapuit* 300, *vacat* 263, *vindicat* 276;
   b) part. et adi.: *(fecunda* 77), *gracili* 1;
3. Ovidius non primus, quae tamen ex eo sumpta esse puto:
   a) verba: *conterret* 183, *ite* 18, *lacerant* 61, *manaret* 306, *manat* 257;
   b) part. et adi.: *manantia* 78, *placabile* 271, *remota* 73, *remoto* 198;
4. Ovidius potissimum:
   a) verba: *aspexit* 109, *(icta erat* 187), *liget* 93, *plangat* 142, *suspicit* 360;
   b) part. et adi.: *arenti* 242;
5. praeter alios Ovidius quoque:
   a) verba: *abegit* 125, *adsidet* 301, *adsidet* 335, *infringere* 177, *manant* 181, *(recubare* 175), *restitui* 224;
   b) part. et adi.: *anxia* 349, 353; *anxius* 159, 237.

Ostendisse mihi videor multa peculiaria communia esse Culici cum Ovidio atque non pauca eaque gravissima in opere exstare indicia, quae — quod Birtius iam suspicatus est — pendere Culicis scriptoris sermonem ex Ovidiano declarant[1]. Accedit quod aliae quoque permultae similitudines inter Culicem et Ovidium, quae adnotavi ad singula vocabula, intercedunt. Pertinent autem indicia illa usque ad ultimum quod fecit Ovidius opus, ex Ponto epistulas, quarum plurimae (lib. 1—3) editae sunt a. 13 p. Chr., aliae, quae libro quarto continentur, a. 14—16 p. Chr. scriptae. Primus autem, qui legisse se Culicem

---

1) Eandem esse rationem in adverbiis et substantivis e paucis quae monui iam intellegitur.

testatur, est Lucanus, qui vixit ab anno 39 usque ad annum 65. Is enim Suetonio teste (vita Luc. p. 50 R.) „praefatione quadam aetatem et initia sua cum Vergilio comparans ausus est dicere: *et quantum mihi restat ad Culicem!*“ Mortuus est Lucanus adulescens a. 65, vigesimum sextum annum agens, praefatio autem illa potest scripta esse a Lucano fere a. 60, cum esset annorum viginti; tum igitur Culex perfectus iam erat. Ergo argumentis quae attuli confisus ortum esse Culicem non multo post Ovidium mortuum paucisque annis ante Lucani adulescentiam iudico[1]) vel, ut numeros ponam, inter annos 17 et 60 p. Chr.; accuratius autem quid censeam si dicendum est: quinquagesimo fere anno editum esse puto eiusque scriptorem aequalem fuisse Claudii imperatoris.

---

1) Idem sentiunt hac de re Hertzberg l. l. p. 21 et Förster l. c. p. 14: Hertzberg: „Irr' ich nicht, so führt auch die metrische Anstoßlosigkeit und Glätte einerseits und der dunkelnde schwerfällige und hohl pathetische Stil anderseits von selbst auf eine Periode, die hier von Ovid, dort von Persius und Lucan begrenzt wird“.

Förster: „Vergil hat keinen Culex gedichtet und das uns vorliegende Gedicht ist kurz vor Lucanus von einem Alexandriner verfaßt und Vergil als ein Jugendgedicht absichtlich untergeschoben worden. In der damaligen kritiklosen Zeit gaben sich Männer wie Lucanus, Statius, Martialis nicht die Mühe, zu untersuchen, ob dieses Machwerk von Vergil stamme“.

Vita.

Natus sum Guilelmus Holtschmidt a. d. X. Kal. Dec. a. 1889 in oppido Guestfaliae cui nomen est Hagen, patre Guilelmo, matre Ida e gente Brinkmann, quibus gaudeo superstitibus. Fidem profiteor evangelicam; civis Borussus sum.

Litterarum elementis in schola Hagensi imbutus ibidem gymnasium adii vere anni 1899. Maturitatis testimonium paschis a. 1908 adeptus Marpurgum migravi studiis philologis et historicis me daturus. Bis sex mensibus post almam matrem adii Monacensem, cuius civis fui per unum semestre. Deinde iterum ad academiam Marpurgensem me contuli, ubi studia mea continuarem atque perficerem. Hic examen rigorosum superavi die XVIII mensis Decembris a. XII h. s.; abinde usque ad diem promotionis Marpurgi versatus sum.

Docuerunt me viri doctissimi Monacenses: Crusius, de Heigel, Otto, de Poehlmann, Vollmer, Weyman, Wolters; Marpurgenses: André, Birt, Busch, Diemar †, Geldner, Jacobsohn, Kalbfleisch, Klebs, Maass, Menzer, Mirbt, Natorp, de Ropp, Schwarz, de Sybel, Thiele, Thumb, Varrentrapp †, Wenck.

Ad proseminarii philologi exercitationes me admiserunt Otto (Monachii) et Thiele (Marpurgi). Seminarii philologi Monacensis aditum mihi benigne patefecit Weyman, Marpurgensis ut per tria semestria sodalis essem ordinarius — per unum senior —, benevolentia factum est Birtii, Kalbfleischii, Maassii directorum. Exercitationibus historicis ut interessem, permiserunt Diemar per sex menses et Klebs per quinque semestria, denique grammaticis Jacobsohn per unum semestre.

Quibus omnibus praeceptoribus gratias ago; imprimis vero Theodoro Birt me gratiam et debere et habere maximam semper profitebor, qui ad hoc opusculum conscribendum me incitaverit nec unquam desierit studiis meis favere benignissime.